ANTI-PVTEANVS,

SIVE

POLITICO-CATHOLICVS,

Stateram Puteani Inducias expendentis aliâ
Staterâ expendens.

*Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem
in cordibus eorum.* Psal. 27.

COSMOPOLI,

Apud Belgam Fidelem. *Anno* 1633.

PHILIPPO IV.

HISPANIARVM ET INDIARVM

REGVM MAXIMO.

NOn solùm inter Belgas & Rebelles Martis castra sunt, REX POTENTISSIME: sed etiam litterarum coruscant arma. Litteratorum aliqui adversùs Tuam dignitatem verborum tela & inimicas faces vibrant: alii forti umbone retundere conantur, fallaces male-sanorum consiliorum insidias detegunt, Tuumque nomen liberè & fortiter propugnatũ eunt. Ego adversùs litteratorum hujus tẽporis facilè Principem in arenam descendere ausus sum: non meâ eloquẽtiâ fretus (quæ multorum annorum spatio relicta, vix se colligere potest) sed Tui honoris defendendi justo ardore inflammatus. Igitur adversùs ERYCIVM PVTEANVM, Consiliarium & Historiographum tuum arma cepi; hostem, an amicum? Quis dicat hostẽ, cùm Tuis alatur stipẽdiis? Titulis Tuâ liberalitate datis illustretur? Et in ditione Tuâ adhuc liber garriat? Saltem non amicum testatur eius Statera, quâ Inducias tuo auspicio tractari cœptas, publicè sine Tuâ auctoritate, & imprudentissimè examinavit, examinandas omnibus proposuit. Nemo non indignè tulit. Quippe TVAM MAIESTATEM, Auctoritatem, & Potestatem imminuit apud hostes, quam necessitate ad

Inducias cogi in ſuâ ſcriptiunculâ hic Author fingit. Hoc potuit Statera illa; ut hoſtes ferociores redderentur, qui facilè Inducias accepturi videbantur. Hoc potuit Statera illa; ut jam Inducias, REX MAXIME, cum hoſtibus ſine tuo ſempiterno dedecore inire non poſſis. Nam, ſi cum illis paciſcaris; dicet orbis totus, ab Erycio Puteano edoctus, Te non niſi ad neceſsitatis metas redactum, ad Inducias veniſſe. Sed oſtende MONARCHA POTENTISSIME, in Te eſſe vires, quibus paucas Inſulas, Iure hæreditario Tuas, Rebelles compeſcas. Oſtende bello acerrimo, & totis Imperii Tui nervis, quantum TVA INVICTISSIMA MAIESTAS poſſit. Tot opprobria fidei Catholicæ, tuoque Nomini illata, *Vnitate forti*, per *Marchionem de Leganes* prudentiſsimè diſpoſitâ, & in Belgio cum magno applauſu admiſsâ, ulciſcere: ut in Belgium noſtrum, auream Pacē brevi redire videamus. Habes Belgas, qui pro Fide, & pro Te, ſuas fortunas exponere, omnem belli aleam experiri, mortemq; ultimam ſubire non recuſent. Igitur vires omnes advoca: ſic longa diuturni belli impendia, parvo temporis ſpatio redimes. Conſilia hîc plurima ſparſa ſunt, ex multis excerpta: quæ utinā in tuum Sacrarium perveniant, & animum tuum adversùs hoſtes exſuſcitent! Sic optamus omnes. Ego verò Anonymus, ſed fideliſsimus TVÆ MAIESTATIS Cultor, me Tibi totum conſecro, voveoque. Vale MONARCHA POTENTISSIME. Deum precor, ut victoriarum laureis Te verè, & ſemper HÆRETICORVM VICTOREM ET LIBERATOREM ORBIS CHRISTIANI oſtendat.

PO-

POLITICO-CATHOLICI Præfatio
Ad Lectorem.

LIBELLVM hunc non torvo oculo leges; quisquis Deum, Regem,& Patriam amas. Politico-Catholicus est: hoc enim nomine eius Auctor gloriatur; quia vel non Politicus, vel Politico-Catholicus videri cupit. Vidisti nuperrimè Erycii Puteani scriptum, nec Politicum, nec Catholicum. Non Politicum, quia Regi & Patriæ malè consulit: non Catholicum, quia ne verbum Religionis facit, & ejus consilium Fidei nostræ puritatem & libertatem labefactat. O Stateram, quam mox omnes non nisi risu & statim secutâ indignatione improbarunt! Hanc igitur Stateram aliâ expendimus. Authoris nomen ne quære. Vnâ manu bilancem gerit, ut judicium hoc Puteani examinet: alterâ gladium, quo Regis arma defendat. Eloquentiam desiderabis: sed has phaleras, belli studium; & dicendi flosculos, longa occupationum certamina abire jusserunt. Tu igitur utramque Stateram diligenter examina,& judicium tuum exacue. *Nam* (ut ait Isidorus Pelusiota lib.3. epist.9.) *eos qui de rebus judicant, acutissimo ingenio esse oportet, ut & eorum qui loquuntur facundiam, & eorum quæ dicuntur probabilitatem ac verisimilitudinem missam facientes, sensa ipsa introspicere, atque hinc expiscantes, veritatem haurire queant.* Vale Deum, Regem & Patriam ama.

Epistolam Dedicatoriam inprimis breviter examinabo, deinde singulis Alphabeti litteris respondebo.

Epistola Dedicatoria PVTEANI.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino FRANCISCO DE MONCADA, Marchioni de Aytona, Comiti de Ossona, in Provinciis Belgicis, terrâ, marique, *Belli & pacis* summo Præfecto.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

BELLI finem pacē esse, omnis Antiquitas, sapientia, rationis, naturæ ductu docuit; armis verò vel conditionibus, victoriâ vel amicitiâ haberi. Nuper quidem finem, non finem, Belgæ adepti: felices, an infelices fuerint, dubium est. Quo enim gaudio semel abruptum est bellum, dolore rediit; tamquam gravior quietem labor sequeretur. Sed universi hæc terrarum Orbis arma sunt: Regia, & in Regem. Bellum unum, omnia bella: unum enim involvit omnes. Post breve igitur otium, & imaginem velut pacis, duriora & infestiora omnia. Cumq; jam hostiū crescerent vires & animi, tua Auctoritas, id est Regia, Legatione Germanicâ nobilis, & usu rerum instructa, maturè interveniens, solido consilio, velut fulcro, res labantes sustinuit. Virtus quoque tua bello feliciter finiendo par erat, si tam facilè interna vitari mala & pericula potuissent, quàm externa vinci. Ab ultimâ quidem conjuratione Bauciniensi nónne reliqua nutabat securitas Belgii? Quia tu regebas, celeriùs nescio, an feliciùs dolosi incendii flamma extincta est; nec una Provincia conservata. Sic verò quia majori jam molimine gerendum erat bellum, in hostem educis exercitum, & ut ampliùs quàm pugnares, passus es victoriam Pace æstimari. Bonum factum: Conditiones tractari cœptæ, animos omnium utrimque ad spem Induciarum, & novum belli finem erexêre. Ego à Perillustri Io. Woverio, *Ærarij Assessore (qui ad belli Pacisq; consilia etiam libenter litteras advocat) interpellatus, ut Induciarum negotium expenderem; Viro Magno obsequi, officiosum putavi; suave, Amico placere. Quid? Munere meo tituloq; usus sum, & Belli ac Pacis momenta trutinans, quandam velut* Stateram *delineavi. Delineavi, inquam; sed ut tuam facerem, & Excellentissimo nomini tuo consecrarem. Facio, consecro, tua est: magis etiam, si*

examine

examine tuo dignam existimabis. Quia studia mea Pacis sunt, etiam consilia: sed argumentum amplissimum, quà eloquio non potui, voto complexus sum. Volui enim, quantum Regi meo debeam, brevi hoc scripto profiteri. Vale, Illustrissime & Excellentissime Domine, *&, quo loquentem me affectu audire soles, nunc scribentem ama. Tuâ audens virtute aut sperare Pacem, aut bellum non timere, felix ero; meamq; felicitatem tuæ incremento gloriæ metiar. Felices autem ipsæ sic esse Litteræ incipient. Lovanii, in Arce, 6. Kal. Iunii 1633.*

Epistola PUTEANI Dedicatoria examinatur à POLITICO-CATHOLICO.

PUTEANUS.

Illustrissimo & Excellentissimo D. Francisco de Moncada, Marchioni de Aytona, Comiti de Ossona, in Provinciis Belgicis, terrâ mariq;, Belli & Pacis summo Præfecto.

POLITICO-CATHOLICUS.

Imprudentiámne mirer, an malignitatem? utramque. Adeóne parum prudentem Marchionem putasti, ut Stateram tuam ad exacti judicii sui æquilibrium non ponderaret? Movebat castra: & subitò suadebas pacem. Ejus prudentia jam satis toti Belgio perspecta ac probata necessarium judicabat bellum: tu verò ejus imprudentiā emendare voluisti; & hoc scripto eum à bello velut fatidicus vates infaustis auguriis absterrere conatus es. Nimirum, ut Auriacus, qui Rhinsbergam obsidebat, faciliùs & liberiùs ad reliqua uno velut haustu absorbenda pergeret. Nam cur potiùs Auriacum ad pacem non excitasti, qui bellum jam gerebat, cùm se tantùm quasi pararet Marchio? an & huic invidebas non mediocrem apparatum & audax consilium, quo, si Rhinsbergam obsidione non liberavit, saltem Batavicorum armorum torrentem sistere potuit? Se cur non alium delegisti, cui hanc Stateram dedicares? Marchionem, quia Belli & Pacis summum Præfectum aggressus es? Sicut se capitalem

lem Civitatis hostem præstat, qui communem fontem, ex quo omnes aquæ per fistulas in civitatem derivantur, venenis imbuit: sic tu talem te Reipublicæ præstas, qui illum tuis pravis consilijs tentas inficere, ex quo in illam salutaria profluunt consilia. An hominem fatuum te reperisse credideras, quem tuis sinistris vaticiniis deterrere; cui pacem, permissâ navigatione Indicâ, & quibuslibet conditionibus, esse meliorem & acceptandam. quinimò Bataviam (sic enim loqueris) à Rege deserendam esse, te persuadere posse & velut fascinare existimares? Alium quærere debebas Patronum: vel Patriæ proditorem, vel ipsum Auriacum, cujus encomia hîc recitas. Et ipse fortassis tuâ facundiâ usus est: ut quos armis superare facilè nõ potest: unâ seditione, ad quam excitandam videtur hoc scriptum prodiisse, superaret. Igitur insidias eloquentiæ, non minùs quàm belli, timere debes, Excellentissime Domine. Nam sub melle sæpè venenum latet, *atque incredibile est* (ait Seneca epist. 90.) *quàm facilè etiam magnos viros dulcedo orationis abducit à vero.* Intereà perge, & fidem huic diserto negandam esse ostendas: & doceas armis tuis necessitatem, quam fingit, vinci posse.

PVTEANVS.

Ego à Perillustri Ioanne VVoverio, AErarii Assessore interpellatus, ut Induciarum negotium expenderem: viro Magno obsequi, officiosum putavi; suave, amico placere.

POLITICO-CATHOLICVS.

Vt privato amico studeas, Patriam contemnis? Amicitiæ leges tunc violandæ, ubi publica Patrię necessitas & utilitas aliud exigit. *Aiunt Patriam amicitia præponendam esse*, ait Martius epist. ad Ciceronem lib. 11. epistolar. Ciceronis epist. 28. Pulcherrima etiam est sententia Sophoclis in Antigona.

Καὶ μεῖζον ὅστις ἀντὶ τῆς αὑτοῦ πάτρας
φίλον νομίζει, τοῦτον οὐδαμοῦ λέγω.

Id

Id est,

Qui pluris quàm suam Patriam amicum ducit, hunc nequaquam amicum duco, sive (ut vertit Turnebus lib. 20. Adversf. cap. 31.) *hunc nullo loco habeo & improbum judico.* Tuum silentium postulabat Patria, vel meliorem orationem: tu amicum, fortasse iniqua postulantem, Patriæ prætulisti. Præterea Viro Magno (& quàm Magno, ut eum Regi Maximo anteponas?) obsequi, officiosum non erat: utpote cùm & ipsi, & tibi, & Regi Maximo tuum noceret officium. Te Ioanni Woverio sic obsequi: ut alii suo Regi non obsequantur, nec ejus voluntati permittant omnia? Tu aliter amico placere non poteras, nisi Patriæ displiceres, nisi ipsi suave solatium adimeres; & in eam stylo tum aperto, tum quasi per cuniculos pugnares? Patria pro Rege suo pugnat; & cum rerum suarum detrimento, Regi obsequi gloriosum putat: tu omnium animos scripto tuo ab obsequio Regis suas Provincias bello justissimo reposcentis avertere moliris sub blandâ Pacis imagine.

PVTEANVS.

Quid? Munere meo tituloq; usus sum.

POLITICO-CATHOLICVS.

Munus tuum, historiam docere & scribere est, communia Politices semina in explicando aut scribendo spargere; quæ Patriæ vulnera lenire, non exulcerare possint. Si quo Consiliarii titulo ornaris, & hunc Regi debes. Consulere igitur Regi & Patriæ decebat: non mendicitatem militum nostrorum exprobrare; planè exhaustum ærarium, aliaque Patriæ damna hostibus aperire & prodere, non dignitatem Regis minuere, eumque intra necessitatis angustias includere, non Indicæ navigationis libertatem Hollandis permittendam suadere, non eorum vires amplificare, eorum animos satis infestos augere & inflare, nostrorum frangere. Et Consiliarii officium putas, querelas facere, suadere finiendum bellum, & nullum rectum finiendi modum dare? Audi Isidorum Pelusiotam lib. 4. epist. 70. *Querelis uti facile & cujusvis fuerit: at*

 dicere

dicere quo pacto desinere possimus invicem belligerare, hoc demùm est Consiliarii. Hæc ille.

PVTEANVS.

Belli ac Pacis momenta trutinans, quandam velut Stateram delineavi.

POLITICO-CATHOLICVS.

Vtinam in æquilibrio foret pósita, neque plus Hollandis faveret quàm Regi! Monebat Minutius Felix in Octavio: *Impræsentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas.* Dum in aliam partem propendes, dum adversarios laudas; dum nihil ad Regis dignitatem loqueris; non Stateram delineavisti, sed procul de rectâ rationis lineâ ivisti. An nihil fortassis, quod ad Regis dignitatem faceret, sinistra mens tua reperiebat? Sanè multa laudanda erant, quædam excusanda; plurima in hostibus vituperanda, contemnenda.

PVTEANVS.

Volui enim, quantum Regi meo debeam, brevi hoc scripto profiteri.

POLITICO-CATHOLICVS.

Non parum Regi debes. Stipendia, Arx, & alia testantur beneficia: sed ingratitudinem profiteris. Regis nomen defendere, ac voluntatem probare debuisses, Pacem Regi suadere, non populo; non Patriam Pacis dulcedine à gerendo bello seducere. Quod sub nostri Marchionis de Aytona ductu gerendum cum majori fructu speramus: quem fortissimum prudentissimumque militiæ Ducem habemus; qui magnitudine animi, moderatione, vigilantiâ, liberalitate, quâ nec suis bonis parcit, magnum sui apud omnes amorem & admirationem peperit; quique in transitu Mosæ, ut Stephani-Werdam occuparet, omnibus penè reluctantibus sui Exercitus Ductoribus, in conspectu hostium se generosum & audacem ostendit, neque tacitum ac prudens suæ fortitudini deesse consilium. Vno verbo, potiùs tacere debuisses, quàm sic loqui, ut Regem odisse, Marchionem contemnere, & Hollandos amare non videreris.

PV-

PUTEANI Argumentum Dissertationis in Capita sua litterarum numero distinctum.

A. EXordium à consilii ratione. Io. Woverii, *Ærarii Regii Assessoris laus, belli consilia ad Pacem vertentis.* Staterâ *belli & Pacis opus esse, ut Induciæ expendantur.*

B. *Belgii vario Marte deformati facies. Miserum fuisse, ut quiesceret; rediisse ad arma, ut miseriæ augerentur. Dictionis lineamenta.*

C. *Bona Pacis, Induciis, tanquam indiciis, manifesta esse: belli etiam mala hinc magis nunc deprehendi.*

D. *Quid Induciæ, & quanti faciendæ.*

E. *Pacis & belli comparatione suadentur. Arma nonnisi quietis causa esse: in longum durare non posse, nisi ut mala fiant.*

F. *Quid potissimùm Belgæ bello passi: bello, vitiis tandem suis in senium provecto.*

G. *Damna privata & publica.*

H. *Majora etiam pericula imminere, nisi à quiete remedia sint.*

I. *Inclinatos in Pacem hostes esse; esse ipsum belli Ducem* Auriacum; *sed Regẽ nostris imprimis malis invitari. Hostes, non jã auctores belli, sed heredes, aliorum pugnare viribus: prodesse posse, si amici fiant.*

K. *His ipsis nisi parcatur, lædi maximè subditos, proniores in obsequium, quò à servitute remotiores sunt.*

L. *Lædi ipsum Regem: quem unum in unâ Provinciâ omnes oppugnant; bellum sic quidem subsidiis suis æternum facturi.*

M. *Incertam hic victoriam esse, fortunam cæcam: Fœderatos sapere, qui ne in victoriâ quidem fortunæ credunt.*

N. *Sapere Corinthiorum, Atheniensium, Romanorum exemplo. His enim spreta aliquando pax, calamitas fuit.*

O. *Nos moneri maximè, ut eodem exemplo utamur, tardâ jam & enervi mole bellum trahentes: moneri ab ipso hoste. Tuta dubiis, quieta turbidis præferenda esse.*

P. *Regem nostrum, Maximum esse, & unum timeri: uni quoque multos timendos esse.*

Q. *Tranquillum Orbem non fore, nisi pugnare pauci desinant.*

R. Paucos illos, Batavos esse, ausos olim vires Romanas provocare: sed à bello in gratiam & amicitiam receptos.

S. Nunc etiam ab armis ad conditiones, sed æquas & benignas, veniendum esse.

T. Laudati, qui auctoritate id Regiâ agunt, ut æquæ & benignæ sint, justæ & salutares.

V. Epilogus, spei metusq; æquilibrio ostendit, quietem periculo, Pacem bello potiorem esse: benevolentiâ magis, quàm violentiâ haberi.

X. Induciarum pacta bonâ fide stabilienda esse: non aliter felicitatem populorum, non Regis stare.

Y. Hanc Stateram esse, & Sapientissimi Viri Io. Woveri *judicio submitti.*

Z. Voto publico Pax expetita.

POLITICO-CATHOLICVS.

Qui litteras invênit, magno generis humani bono invênit. Sed omnia bona, pravo usu mala fiunt. Non sufficiebat ex litteris malas & iniquas dictiones ac orationes formare, nisi etiam & ipsæ litteræ, solæ, turpissimum argumentum distinguerent, & quasi viginti tria vexilla totidem inimicas verborum legiones significarent. Sed in ordinem componere, recteque distinguere, prudentis est. An id assecutus sit Puteanus, judicabis Lector; ubi videbis ne quidem unam Alphabeti litteram à me relinqui, quin ostendam sub eâ contineri quæ longè aliud quàm prudentiã spirant. Singulæ litteræ, ut infesta labara, non ostẽtant Regis insignia, sed Batavorum; & S.P.Q.B. Senatus, inquam, Populiq; Batavici cõsilia, utilitatem, dignitatem videntur prȩferre. O infaustæ litteræ, quæ tam infelix & perniciosum argumentum distinxistis! ô ATTICA SVADA, tam malesuada! O DISTINCTIONIS FACVLA, potiùs flammas quàm serenum Patriæ splendorem illatura! O florida & diserta verba, quæ colubros tegunt veneno armatos! Sed ecce vos cum Virgilio Eclog. 3. monitos volo.

Qui legitis flores & humi nascentia fraga;
Frigidus, ô Belgæ, pulchrâ latet anguis in herbâ.

Sed

Sed quid te, Lector, præ foribus tam diu teneo, nec te introduco? Quæso, bone hospes, ut non iniquo animo feras: præambula sunt, & nostræ responsionis PRÆLVDIA. Mox ad LVDVM ibis, ibique Alphabetum meum disces: cui non solùm præfixa ✠ est, Christi Symbolum; sed ubique intertexta est Christi gloria: ita ut vocales vocem non edant nisi cum Catholicæ Religionis bono, nec aliter consonent consonantes. At, tantisper in atrio hîc subsiste, donec priùs Sallustii sententiam, quam suæ Steteræ præfixit Puteanus, paucis examinaverimus.

Sallustii Sententia à PVTEANO *Stateræ præfixa.*

SALLVSTIVS.

Scio ego, quàm difficile atque asperum factu sit, consilium dare Regi, aut Imperatori, postremo cuiquam mortali, cujus opes in excelso sunt: quippe cùm & illis consultorum copiæ adsint; neque de futuro quisquam satis callidus, satisq́ prudens sit. quin etiam sæpè prava magis, quàm bona consilia prosperè eveniunt: quia plerasque res fortuna ex libidine suâ agitat.

POLITICO-CATHOLICVS.

Imprudentiam tuam & temeritatem arguunt hæc aurea Sallustii verba. Sciebas esse difficile atque asperum factu, consilium dare Regi: & tamen ausus es periculosæ plenum opus aleæ tentare. Qui periculum amat, se in eo periturum timere debet: Sic prudenter Scripturæ magisterium sequetur. Periculi magnitudinem ex hâc sententiâ hoc modo colligere debuisses. *Scio ego, quàm difficile atque asperum factu sit, consilium dare Regi*: Cur igitur hæc consilia potiùs Batavorum quàm Regis dignitati & honori faventia proponere audeam? Sed etiam velim scias ita à naturâ factum Regem nostrum, ita clementem ac modestum; ut non difficile atque asperum factu sit, consilium ipsi dare: imò consilia, si honesta sint, si Catholicæ Religionis & Regiæ Majestatis splendori non detrahant; admittet ille æquo animo, ideò enim tot Consiliarios & te suâ liberalitate fovet ac sustentat. Magisque miror tuos ausus temerarios, cùm &

Consultorum copias in Patriâ esse non ignores: qui si te fortassis eloquio non vincant, certè prudentiâ superant; & majori authoritate alia consilia salubriora Regi subministrare poterant; aut hæc tua consilia, si de eorum soliditate dubitassent (non solùm autem dubitassent, sed iniqua procul dubio existimassent, & idcircò Regi non obtulissent) non impressa sed scripta, obtulissent. Sed quàm nemo *de futuro satis callidus, satisq; prudens sit*, tu ipse es exemplum: quia Inducias credideras futuras, putabas te rem futuram non tam consulere quàm vaticinari, & sic omnium voto locutum esse. Errasti. Denique si *sæpè prava magis quàm bona consilia prosperè eveniunt*; quis non miretur tua prava consilia, id est, Inducias non prosperè evenisse? Non successerunt, quia bonum bellum est; & geretur, non res Belgicas fortunâ ex libidine suâ agitante; sed Dei consilio atq; providentiâ. Qui ecce duas classes auro graves misit ex Indiâ Occidentali, & tertiam ex Indiâ Orientali, id est, pecunias misit, belli nervos. Ostendet ergo Rex, Dei auspicio, se necessitate (quam fingis) non victum, sed hostes ipsâ necessitate (ad quam vi armorum adiget) victurum. Fave Deus: nam *tua res agitur*, id est, Catholicæ Religionis. Absolvi, Lector; ingredere & examina: Puteani Stateram tibi propono & meam, id est, ejus verba & mea, ut sic ex æquo judices.

ANTI-PVTEANVS
SIVE
POLITICO-CATHOLICVS,

Stateram Puteani, Inducias expendentis, aliâ Staterâ expendens.

ERYCI PVTEANI Belli & Pacis Statera, quâ Induciæ, auspicio Regio tractari cœptæ, expenduntur.

A. *Quando omnes passim loquuntur ac deliberant, optimum à mutis & mortuis consilium est. Homines quoque si taceant, vocem invenient libri; & quæ nemo dicit, prudentissima Antiquitas suggeret. Nunc verò res quæ agitur maxima, & quæ fortunas salutemq; spectat omnium, silentium ubique abstulit. Suo quisque judicio privatim expendit,*

pendit, quæ tractari audit publicè; promit opinionem, ut & loqui publicè videatur. Quid agis igitur Prudentißime, & tuo major ævo, Woveri? *ut & ego in numerum veniam, unusq; è multis sim, si dicam unus, quæ multi? Peccare malo, quàm aut affectum meum non proferre, aut tuum non sequi, qui splendidißimum à bellis titulum salutaribus ad Pacem consiliis constanter & ardenter dirigis. Dicam pauca, ne solus tacuisse videar: dicam mea, non tam rerum usu collecta, quàm lectione studiisq; litterarum observata. Mea, ut tua fiant, &, si fortaßis aberrantia, vel castiges liberè, quod judicii tui erit; vel benignè excuses, quod amoris.*

Belli & Pacis, *ut sic appellem,* Stateram *formo, tempori aptam, examini commodam; quâ Inducias feliciter tractari cœptas, necessitatis præsertim pretio æstimem, cui innexa utilis honestiq; ratio suo promiscuè pondere libramentum directura sit.*

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad primam litteram, A. Puteani.

PVTEANVS.

Res quæ agitur maxima, & quæ fortunas salutemq; spectat omnium, silentium ubique abstulit. Suo quisque judicio privatim expendit, quæ tractari audit publicè; promit opinionem, ut & loqui publicè videatur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Injuriam doctrinæ tuæ facis, qui in primâ Alphabeti litterâ statim erras. Privatim tu quoque expendisses, non publicè. Publicè expendis, cùm Stateram tuam perniciosis interpretationibus corruptam facis publicam. Arbitrium rei maximæ & quæ fortunas salutemque spectat omnium, quo jure sumis? Authoritate publicâ opus, ut Inducias publicè expendendi jus haberes. Quis suâ potestate arduum & periculosum in Repub. judicandi munus arripiat? Committi debet, non arripi. Quis, nisi temerarius, se publicis rebus immisceat, privato tantùm amici consilio fultus? Tacere debuisses, etsi ab amico rogatus: quoniam non ab eo, qui publicâ authoritate tantæ rei trutinam tibi committere potuisset.

PVTEANVS.

Quid agis igitur prudentißime & tuo major ævo VVoveri?

Po-

POLITICO-CATHOLICVS.

Imò imprudentissimum & suo perniciosum ævo non verebor appellare, si hæc tibi argumenta suggesserit. Sed quis credat? non inquiro. Erumpet veritas aliquando.

PVTEANVS.

Vt & ego in numerum veniam, unusq; è multis sim, si dicam unus, quæ multi?

POLITICO-CATHOLICVS.

Latent scilicet adhuc serpentes, qui columbæ candorem præferentes, in occulto sibilare non desinunt & venena ructare. Suam & illi exiguam in Regem benevolentiam, tuo testimonio revelant. Dum eorum ore loqueris, eorum animos tuâ oratione manifestas. Vnus autem dicis quæ multi, sed non ut ipsi, quia publicè: nemo illorum scripsit. Timere debebas, ne factiosorum caput & lingua habereris. Et quid multos tibi subscribere revelas? Dicit Seneca lib. 3. de beneficiis, cap. 16. *Non expedit notum omnibus fieri, quàm multi ingrati sint.* Nocet enim cognita multitudo peccantium, & facilè trahit in sequelam. Velim deinde audias Ambrosium ad virginem lapsam, cap. 9. *Non tibi de multitudine peccantium similium blandiaris & dicas; non solus hoc egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum.*

PVTEANVS.

Peccare malo, quàm aut affectum meum non proferre, aut tuum non sequi.

POLITICO-CATHOLICVS.

Igitur non inscius peccasti. Auget facinoris magnitudinem voluntas peccandi. *Romani veteres magis voluntatem peccandi intuebantur, quàm modum*, ait Velleius Paterculus libr. 2. cap. 8. Exaggerat & illud Demosthenes orat. pro Ctesiphonte his verbis: *Facit aliquis injuriam prudens? iratæ Leges, infesti Iudices, pœna in eum constituta. Peccavit aliquis imprudens & invitus? huic venia datur, non supplicium quæritur.* Sed quàm cæcus ille amor tuus, quandoquidem Re-

gem

gem Patriamque contempseris, ut affectum tuum proferres, ut imprudens & perniciosum amici consilium sequereris. Non mirum, si in judicando erraveris, cùm dicat ille: *Omnis amor cæcus, non est amor arbiter æquus.* Et Cæsar apud Sallustium in bello Catilinario sic exordiatur: O*mnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atque misericordiâ vacuos esse decet. Haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt.* Quinimò fortasse defensionem tui, quàm amicitiam Woverii pluris æstimasti: nam imitatus videris eos, de quibus loquitur Maximus Tyrius Dissert. 8. *Qui occultè in alios, quorum major est authoritas, culpam derivant, ut facinus à se commissum ita elevent, si tales in societatem ejus venire ostendant.* Plus igitur amicum læsisti, quàm æstimasti.

PVTEANVS.

Dicam pauca, ne solus tacuisse videar.

POLITICO CATHOLICVS.

Vtinam pauciora hic niger calamus! Isocrates, referente Maximo serm. 2. *Duo dicendi genera statuenda dicebat; vel de iis quæ certò novimus, vel de quibus dicere est necessarium. In his enim solis oratio silentio præstat, in aliis melius est silere quàm loqui.* Ita Lycosthenes de silentio agens. At nec certò novisti quæ scribis, & imperitum te ostendis eorum quæ Statum spectant: prætereà de iis dicere non erat necessarium. Plus enim tuo silentio, quàm simili eloquio Rempublicam promovisses.

PVTEANVS.

Belli & Pacis, ut sic appellem, Stateram formo, tempori aptam, examini commodam; quâ Inducias feliciter tractari cœptas, necessitatis præsertim pretio æstimem, cui innexa utilis honestiq; ratio suo promiscuè pondere libramentum directura sit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Stateram in hoc rerum turbine ineptissimam & perniciosissimam formas. In eo laborat, ut omnium animos enervet, ne bellum, quod Regis jussu & authoritate adhuc geritur, promptè prosequantur, sed detrectent seditiosè. Statera hæc per populi manus volitat, qui malis mederi non potest, sed

potiùs propositis Patriæ vulneribus, hastam abjicere. Malè autem Inducias necessitatis pretio æstimas, eique non rectè utilis honestique rationem innectis. Honestæ Regi nostro esse non possunt, sed turpes; quia Regem necessitate ad Inducias coactum ostendere conaris. Non utiles, quia Regius animus nullam agnoscit utilitatem, nisi cum honestate & Religione conjunctam. Sed hæc infrà.

Littera B. PVTEANI.

Inter pleraſq; Europæ & Orbis Christiani Provincias, genio, ac situ, omniq; laude Belgicæ naturam suam extollunt: sed longo bello, velut morbo tam graviter affecta; ut aliarum undique ad se mala traxerint & calamitate quoque nobiles sint. Semina miseriæ, interna dissidia, quæ in fœdera deinde & arma eruperunt. Vario Marte certatum est, in Regem, & pro Rege. Pars libertatem, nescio quo fervore, sibi asserere; pars obsequium constanti fide profiteri. In ipsis, ut sic dicam, aquis excitato incendio, hauserunt flammæ quicquid remedii esset: cùmq; majori fiduciâ, quàm curâ ageretur, non alium finem bellum habuit, quàm ut tractum sit. Lassa tandem utrimque arma, Induciis, sed brevibus interquieverunt. Rediit furor, adeoq; resumpto velut spiritu, in novam calamitatem recruduit, ut fœderatæ vires, quia parvæ, plus ad victoriam curæ attulerint: Regiæ, quia longinquæ, & sic tardæ, imò ut plurimùm inutiles, non potuerint nisi in alimentum belli erogari. Ergò tantum in unâ propemodùm Provinciâ auri consumptum, quantum Europa vix tota deglutiret. Militia ipsa, quia sexaginta & ampliùs annorum morâ consenuit, sine fructu victoriæ, florem quoque disciplinæ amisit. Hostes sua vitia habent, & nos nostra: majora etiam, quia majore sumptu & mole pugnamus. Prorsus tanquam utrimque videamur ad quietem trahi: utilitate dicam, an necessitate? consilio, an periculo? Expendam singula, argumento magis quàm ordini inhæsurus: nec ut Orator, sed potiùs ut consultor: nunc bona, nunc mala, suis momentis: nunc mala, nunc bona. Pacis bona, belli mala, eâdem quasi trutinâ, ut si intelligere mala belli incipimus, bona pacis, & hinc Induciarum æstimemus.

Responsio

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram B. PVTEANI.

PVTEANVS.

Vario Marte certatum est, in Regem, & pro Rege. Pars libertatem, nescio quo fervore, sibi asserere; pars obsequium constanti fide profiteri.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nesciebas quo fervore? Non ignorabas impium esse, qui non ex Regis vitio, sed ex Religionis & unius Ducis odio frustrà & malè suscepto, ex perfidorum & improborum Principum quorundam conjuratione flammas sumpsit. Et nónne impius, qui fidem antiquam extinguit, Regiam hæreditatem rapit? Religionem primam nomino: quia quidam sunt malè Politici, qui hanc ultimam statuunt. Atheos dixerim, qui sic Deum negligunt; quasi sine Deo verâque Religione, Status stare posset. Sub Guilielmo Auriaco sacra omnia prophanata, in exilium acti Sacerdotes & Religiosi, quin etiam variis excruciati suppliciis, Catholici omnibus dignitatibus spoliati, officia omnia in sordidam hæreticorum colluviem reciderunt. Et quo fervore Regiàm hæreditatem rapuerunt? injustissimo & flagitiosissimo. Patrimonium Regis est. Primò Maximilianus cum Mariâ uxore suâ sine bello Belgium accepit. Philippus I. deinde ejus filius cum Ioannâ Ferdinandi & Isabellæ filiâ, Hispaniam ac tot illi adjuncta Regna, dotis nomine possedit: in quæ omnia Carolus V. Imperator successit. Tandem Alberto cum Isabellâ Clarâ Eugeniâ felices nuptias contrahenti, Philippus II. Belgium dedit: quod, cùm prole caruerint, ad Philippum III. rediit, cujus hæres Philippus IV. Quo jure igitur invaserunt, & jam occupant? fervore libertatis scilicet. Sub hujus colore servitutem induxerunt. Statim ac imperium obtinuêre, libertatem conscientiæ Catholicis non solùm denegarũt, sed illos Senatu moverunt, ab officiis rejecerunt, severis legibus constrinxerunt. Quid aliud libertas conscientiæ, quàm

indifferentia fidei? Persuadebant Catholicis, ut securè cum illis habitarent, tanquam ad bonorum Ecclesiæ communionem admittendi, sed tandem incauti & infelices in servitutem redacti fuerunt, tormentis excarnificati, ex suis dignitatibus deturbati, & miseram ætatem coacti transigere. Amsterodamensibus promiserant anno 1578. 8. Februarii die, articulo 1. *In Amsterodamensi civitate & omnibus ejus Territorii terminis ac dominio, nulla præterquàm antiqua Romana prædicabitur, docebitur, exercebitur Religio*. In conventione Graviensi anno 1602. polliciti erant art. 1. *Omnes Religiosi, tam viri quàm feminæ, nullo excepto; item omnes Catholici, cives & inquilini, in Catholicæ Religionis exercitio pacificè agere & manere permittentur*. Sed promissis suis, quæ jurejurando confirmaverant, non steterunt. An qui posteà Ruremundanis & Trajectensibus permiserunt, eandem, quam aliis, fidem servabunt? Catholicos in Sacris turbari, rideri, ac vexari, querelæ etiamnum audiuntur. Nec tantùm Catholicos hâc premunt servitute, sed etjam Arminianos concives suos coëgerunt in Dordracenam Synodum jurare eamque propugnare. De Arminianorum oppressione Ferdinandus ab Efferen in Manuali Politico lib. 2. punct. 9. sic ait: *Pugnarunt Hollandi quinquaginta annis pro libertate conscientiæ, ut præfert causa belli. Quid obtinuerint, loquuntur Arminiani ipsorum concives, quibus non tantùm gravi pœnâ inhibita est professio suæ fidei, & adempta libertas conscientiæ; sed etjam jus naturale, defensio denegata manet.* Malè igitur dicis Hollandos asserere libertatem sine addito. Hanc falsam, insanam, & imaginariam cognominare debuisses. Si à Religione ad civilem statum transeamus: majorem apud nos libertatem, & minorem servitutem, quàm apud Batavos reperiemus. Nulla minor servitus, quàm sub uno & bono Rege. Nulla major servitus, quàm apud Batavos, apud quos solum libertatis nomen, umbra, & nihil. Apud illos pro unico Rege tot sunt Domini, quot viri, qui Senatum constituunt. Liquet autem multiplicato numero Dominorum augeri serviendi vilitatem. Quinimò apud nos tantùm libertas est: apud illos servitu-

vitu & captivitas. Ex sententiâ D. Chrysologi loquor, serm. . *Servire*, inquit, *uni libertas est*; *captivitas*, *multis*. Rectè igitur Homerus Philosophiæ parens Iliad. β. statuit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς ἔςω,
Εἷς βασιλεύς. *Non bonum est multorum dominatus,*
Vnus Dominus esto, unus esto Rex.

Quid de tributis & vectigalibus dicam? Tanta sunt apud Batavos, tamque intolerabilia, ut potiùs maximâ tyrannide opprimantur. De quibus si paulò fusiùs dicam, operæ pretiū facturus videbor. Duplicia sunt apud eos tributa; generalia & particularia. Generalia, à quibus nemo eximitur, media vocantur ad belli sustentationem deputata: & in tribus consistunt; nempe in tributis & vectigalibus publicis, licentiis sive portoriis, & commeatu sive salvo conductu. Vectigalia publica excedunt nummum decimum, quem Dux Albanus ex omnibus rebus quæ vendebantur, exigebat. Non tamen apud eos nummus decimus appellatur, sed alio specioso nomine apud rudem populum palliavit iniquitas. Nec solùm ex rebus quæ venduntur (sicut petebat Albanus) apud Rebelles fit exactio, sed ex omnibus bonis, mobilibus, & immobilibus, etiamsi non vendantur. Dant igitur ex bonis mobilibus & immobilibus pretium decimi nummi (licèt apud ipsos nummi decimi non sit appellatio) ita ut ex decem vaccis dent unam, ex decem domibus unam, ex decem poculis lactis unum, ex decem caseis unum, ex decē pondo butyri unum. Secundò, licētiæ sunt portoria omnium mercium, quæ vel evehuntur ex Hollandiâ, vel in illam invehuntur; vel quæ exiguntur pro transitu fluminum, sicut pro Scaldi apud Lilloam & alibi; pro Rheno apud Orsoyam & Rhinsbergam & alibi; pro Mosâ, Trajecti. Tertiò, media quæ in commeatu & salvo navium conductu consistunt, ad exsugendum populi sanguinem sunt excogitata: Pro navi dives mercator, pro scaphâ pauper rusticus caseos & fructus ad forum vehens, pro quolibet vase & pro qualibet re quæ navi imponitur, juxta cujusque magnitudi-

nem dant. Vectigal sanè intolerandum ; & fit aliquando ut una navis duo vel tria millia florenorum pendat, eo solo nomine quòd conducatur; cùm tamen nulla navis præsidiaria commeet. Vectigalia particularia sunt infinita, utpote omnibus rebus imposita. Pro quolibet vase vini, dantur decem aut duodecim floreni. Pro quolibet vase cerevisiæ, sex floreni. Ex quolibet modio tritici, hordei, siliginis, avenæ, aliorumque granorum, sesquimodius demitur. Pro quolibet scripto & instrumento solvi debent quinque asses, ut Statuum sigillo minori muniatur ; sine quo nullum scriptum est reatum ac legitimum, sive sit testamentum, obligatio, petitio, testimonium, memoriale etiam duabus tantùm lineis expressum. Denique vectigalia omnibus rebus sunt affixa, panno, omnique materiæ vestibus conficiendis idoneæ, cunctis rebus commestibilibus & potabilibus, etiam lucro diurno famuli & famulæ, calceis & pileis, carnibus, piscibus, saccharo, sali, tabaco, ceræ, caseo, butyro, ligno, chirothecis, & omnibus telarum generibus, domibus, caminis, aceto, lacti, melli, panibus, farinæ, tritico, pratis, hortis, singulis capitibus gregis alicujus, fructibus, etiam candelis sebaceis. Et quis non rideat, nec ipsos partus à tributis liberos esse? Vix lucem haurire cœperunt, & statim tributo obnoxii sunt. Vbi peperit mulier, si sit proles mascula, duo floreni cum medio exiguntur; si feminini sexus sit, duo floreni; quasi captivæ proles, cùm tamen, ut aiunt, sint ad libertatem natæ, non aliter suam libertatem, nisi mox à servitute debeant incipere. Fit ergo ut tantùm videre, audire, & respirare sine tributo possint: & jam non decimum nummum, sed quintum extorqueant. Denique ipsum mori à tributo liberum non est; nam corpora sepelienda, in arcâ ligneâ recondi non possunt, nisi priùs secundùm cujusque qualitatem, quatuor, quinque, imò etiam octo floreni conferantur. Nec spes esse debet brevi minuenda hæc tributa. Enimverò altiùs ascendent, quãdoquidem Rebellium Provinciarum debita exurgant ad centum quinquaginta & plusquàm milliones flore-
norum-

norum. Quis non hic tyrãnidem animadvertat? Quis hos populos liberos dicat, quos tam graviter oppressos videat? Sylvæducenses & Trajectenses interrogemus. Libertatem, quâ sub Rege nostro fruebantur, amissam dolent, execrantur tyrannidem Batavorum, qui cùm jurassent, cives non soluturos majora tributa, quàm cùm sub Dominio Regis essent, pactum fregerunt: & jam ab ipsis sex florenos pro quolibet vase cerevisiæ exigunt, cùm sub Rege non nisi ideò sex asses solverentur. Quinimò Braxatorium, ut vocamus, ibi nomine Statuum erigere meditantur: unde omnis quæretur cerevisia, & pro unoquoque vase septem floreni pro vectigali petentur. Interrogemus & rusticos, qui in munimentis Ruræmundanis per septimanas operari cogebantur sine præmio ac mercede, & victum sibi ac potum ex suis tuguriis secum debebant conferre. Quæ crudelitas, aut tyrannis major? Et tamen libertatem jactant. Hanc igitur, Puteane, fictitiam Batavorum libertatem, eorumque fervorem, eam asserendi aliquo reprehensionis epitheto, velut atro carbone notare debuisses: multò minùs laudare in Belgis amorem libertatis, aliis nationibus exprobrare serviendi vilitatem, tanquam si alicubi servitus sub Rege nostro esset, sicut facis in litterâ, K. circa finem.

PVTEANVS.

Fœderatæ vires, quia parvæ, plus ad victoriam curæ attulerunt; Regiæ, quia longinquæ, & sic tardæ, non potuerunt nisi in alimentum belli erogari. Ergò tantum in unâ propemodmùm Provinciâ auri consumptum, quantum Europa vix tota deglutiret.

POLITICO-CATHOLICVS.

Sæpè nocuit hoc loquendi libertas. Si longinquæ fuerunt, ideòque tardæ. Rex jure potuit tibi omnium rerum examen deposcere; quia non minus ad suam quàm ad Patriæ salutem aut utilitatem faciebant. Deinde Regem publico scripto tarditatis arguere, non Consiliarium, qui secretò monere debet, sed malè affectum buccinatorem sapit. Regios non

non minus ad victoriam curæ attulisse quàm fœderatos; testatur nostra perseverantia, Regii sumptus & totum illud aurum, quod vix Europa tota deglutiret, ut ais. Iucundum Regi putas tam profusos sumptus facere. Hi certè summam ejus curam atque desiderium urbes hæreditarias recuperandi demonstrant. Regios non tantum curæ ad victoriam attulisse, & Regias vires non nisi in alimentum belli erogatas: hoc tecum dicunt, qui malè de Hispanis sentiunt, qui eos non bellum gerere, sed alere clamant; tanquam si ad victoriam curæ parum adferrent, ut belli æternitatem in Belgio faciant. Sed nónne Hispani jucundiùs pace partâ, & cum honore in Patriam reversi, Patriæ restauratæ præmio fruerentur? Eos ad victoriam non toto conatu anhelare: quandoquidem in Palatinatum cum suo damno, in Africam, Indiamque universam pro Fidei & Imperii majori propagatione, in Germaniam sine gravissimâ nominis Austriaci jacturâ arma sua transferre non possint. Hispanos belli semina fovere, cùm Hispania auro & argento seipsam exhauriat, & in utriusque locum æreï & cupreï nummi successerint, & Iberici mercatores Indicarum opum securâ felicitate non fruantur? Non igitur hæc armorum diuturnitas tam eorum vitio accidit, quàm iniquitate temporum aliisque causis, quas aperiam.

PVTEANVS.

Militia ipsa, quia sexaginta & ampliùs annorum morâ consenuit, sine fructu victoriæ, florem quoque disciplinæ amisit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Per sexaginta annos sub Ducibus præstantissimis. Duce Albano viro militiâ claro, licèt severitate tunc temporis multùm necessariâ, in odium inciderit. Sub Serenissimo Ioanne Austriaco, cui nihil ad belli fortunam defuit. Sub Comite Fontano. Sub Alberto nostro, non minùs belli quàm pacis gloriâ Maximo. Sub Marchione Spinola, quem sua illustria facta commẽdarunt immortalitati. Non in otio milites

nostros

noſtros fuiſſe enutritos teſtantur eorum præclara facinora; recuperatæ urbes quamplurimæ, frequentes & raræ victoriæ; quas mirum eſſet te ignorare, qui te Hiſtoriographum Regium profiteris. Non ergo militia fuit niſi cum fructu victoriæ, niſi perfectam intelligas victoriam; quæ cur perfici non potuerit, infrà explicabo. Sed quomodò militia vires amiſit, & conſenuit longâ temporis morâ? Nónne potiùs uſu & exercitatione roborari ſolet? Quomodò denique florem diſciplinæ amiſit, ſub tam acribus & vigilantibus diſciplinæ cuſtodibus? Niſi fortè dicas illam à Marchionis Spinolæ (ſub cujus ductu ſtetit optima diſciplina) diſceſſu, ſtatim defeciſſe. Tribuendum Henrico Bergio, qui ex Velaviâ eduxit exercitum fame attritum, inopem, quem fortunatiſſimum educere potuiſſet; & quidem cum fructu victoriæ, ſi fortunâ uti malevolus & doloſus proditor non renuiſſet. Cui & reliqua, tanquam omnium malorum fonti, hactenus tribuenda oſtendam. Sed quid noſtram militarem diſciplinam improbare audes? In caſtris noſtris nulla ſeditio, quieta ſunt omnia, parati ſunt ad prœlium milites, ſi hoſtes generoſos, non fugaces & timidos lepores haberent.

PVTEANVS.

Prorſus tanquam utrimque videamur ad quietem trahi: utilitate an neceſsitate? conſilio an periculo? Expendam ſingula, argumento magis quàm ordini inhæſurus; nec ut Orator, ſed potiùs ut Conſultor.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nondum nos periculo aut neceſſitate cogimur. Cùm ſingula expendes, iis reſpondebimus, & oſtendemus te, nec Oratore, nec Conſultore, ne dicam Conſiliario, digna conſilia dediſſe.

Littera C. PVTEANI.

Hactenus quidem, quia ardua ac dubia fuerunt omnia, ſub ipſo armorum onere intelleximus reſpirandum eſſe: & ſemel Induciæ placuerunt, ut redire poſſent, uſu teſtes, Minervam Marte meliorem eſſe, togam ſago, amore odio, ſudum tempeſtate. Nullo, ut puto, elogio opus,

ut res à Deo, à naturâ, ab ipsâ nobis ratione commendata, in pretio sit: Pax est,

——— ——— Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem,
Et cives æquare potens.

Quid illâ Musâ suavius? Auro saluberrimi hi versus, non atramento; sceptro, non calamo scribendi sunt; ut à Regibus populisq; publicè legantur. Omni quippe Regno (*Theoderici Regis apud Cassiodorum monitio est*) desiderabilis debet esse tranquillitas: in quâ & populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora mater; hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excolit: & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur. *Sed si nihil melius Pace, pessimum sanè bellum est, omnis & fundamentum & munimentum mali. Bellum, inquam, est: semper malum; pessimum, cùm extenditur. Semel igitur nuper Induciis interruptum, ut brevi pacis usurâ ærumnarum intervallum esset, scirentq; populi, quo bono, ab Optimis, & quiete dignissimis Principibus,* ALBERTO ET ISABELLA CLARA EUGENIA *regerentur: quo jure Optimi regerent. Bello gloriosi erant, sed maluerunt Pace, tanquam benigna quadam Numina, salutares esse, magnitudinem suam felicitate subditorum æstimare. Grave igitur comparatione quietis belli visum est; gravius etiam, postquàm, rebus intempestivâ legatione turbatis, quasi post liminio reductum.*

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram C. Puteani.

PUTEANUS.

Semel Induciæ placuerunt, ut redire possent, usu testes, Minervam Marte meliorem esse, togam sago, amorem odio, sudum tempestate. Et infrà.

——— ——— Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior. &c.

Et

Et iterum infrà. Omni quippe regno *(Theoderici apud Cassiodorum monitio est)* desiderabilis debet esse tranquillitas : in quâ & populi proficiunt , & utilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora mater; hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans , facultates protendit,mores excolit: & tantarum rerum ignarus agnoscitur,qui eam minimè quæsisse sentitur. *Sed si nihil melius Pace, pessimum sanè bellum est , omnis & fundamentum & munimentum mali. Bellum , inquam , semper est malum ; pessimum cùm extenditur.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Inducias bello meliores , Pacem optimam esse , si fortunarum spectetur utilitas & quietis jucunditas , nemini dubium est. Sed causæ faciunt, ut honesto utile posthaberi debeat. Fit etiam, ut bellum sæpè melius sit Induciis, quinimò bellum sit optimum, non minùs quàm Pax, non semper malum , ut aïs. Quis Castellæ Reges non laudet, qui perpetua cum Mauris bella gesserunt , & tot prodigiosas victorias, Deo ac Divo Iacobo non probantibus solùm, sed etiam auxiliantibus atque certantibus , reportarunt? Quis non S.Ludovicum Francorum Regem, multis sumptibus bellum pro Terrâ Sanctâ recuperandâ gerentem, pluris æstimaverit; quàm si domi pacem aluisset, si tantis impendiis bello præsertim in remotissimis regionibus ducendo necessariis populum gravare timuisset? Quis Emmanuelem Lusitaniæ Regem non laudet: qui ut Christianæ Reipublicæ utilis esset, & bello gloriosus, multis sumptibus classes instruxit, & in Indias misit? Satis potens & patens erat Lusitania: quin quievit? Elegit bellum, quod Pontifices bonum diplomatibus approbarunt. Reliqui Reges bellum sunt prosecuti & extenderunt : nullus,cui mens sana, malum , multò minùs pessimum existimavit. Quis deinde Regē inertem & degenerē non arguat, qui solo amore Pacis pugnam detrectaret,Rebelles non compesceret,purpuram & sceptrum abjiceret , se Regno aut aliquâ Regni parte exui pateretur?

Inde Regno accederet utilitas, quòd belli incommoda non sentiret: sed Rex per ignaviam atque socordiam sibi adferret dedecus nullo Oceano eluendum. *Vt pace justâ & honestâ nihil pulchrius, nihil utilius: sic eâ, quam vel ignavia, vel servitus infamant, nihil neque turpius, neque magis noxium.* Ita Polybius lib. 4. hist. cap. 31. Et Demosthenes apud Stobæum serm. 49. verè & generosè dixit: *Bellum honestum, turpi Paci præferendum est.* Præterea Batavi Hollandiam, Frisiam, Zelandiam, Limburgum occuparunt; Brabantiam, Flandriamque mutilarunt: & Rex se ad pacem conferet? eamque innumeris triumphis potiorem ducet? Catholicos videbit opprimi, hæreses dominari, luem suam teterrimam his Provinciis affricare; & tolerare poterit? Videbit eos Germaniam universam ad turbas concitasse, Domui Austriacæ perniciem fuisse machinatos, omnes ad Cæsaris jugum excutiendũ instigasse, Gaborem & Turcam ad bellum Cæsari movendum missis legationibus impulisse, Palatino coronam Bohemiæ imposuisse, Regem Daniæ & Suecum in Germaniam evocasse, & Protestantibus Principibus auxilia mittere: & improbos tantorumque malorum authores ferre poterit? non hæreticorum sentinam exhauriet? Hollandiam, suam ditionem, ab hoc sceleratorum hominum cœno non expurgabit? Gravia quidem sunt belli damna, *& metuendum equidem est bellum* (ait Polybius ibidem) *sed non usque adeò metuendum, ut ejus vitandi gratiâ omnia velis sufferre. Neque enim laudamus Pindarum, qui in suis Poëmatis sic ait:* Pro se quisque civium publicæ tranquillitati consulens, quietis magnanimæ lætum jubar requirito. *Pindarus enim cùm repentè visus esset dixisse aliquid, quod meritò omnes probarent, non multò pòst & turpissimæ & damnosissimæ sententiæ auctor fuisse est compertus.* Ita tu, licèt repentè visus sis dixisse aliquid, quod meritò omnes probarent, non multò pòst & turpissimæ & damnosissimæ sententiæ auctor fuisse compertus es. Denique bellum non semper esse malum, testetur Augustinus: *Apud veros Dei cultores* (inquit ille lib. de

verb.

verb. Domini) *etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur.* Et ille idem epist. 5. sic ait: *Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur.* Consule verò Aristotelem Rhetor. ad Alexandr. cap. 3. videbis eum plurima bella approbare, quę ex his causis oriuntur. *Par est*, ait, *ut injuriâ provocati pro nobis ipsis, aut pro cognatis, aut pro iis qui benefici erga nos fuerint, aut quò auxilio simus injustè affectis sociis, aut publicâ pro utilitate bellum suscipiamus.*

PVTEANVS.

Bello gloriosi (scilicet Albertus & Isabella Clara Eugenia) *erant: sed maluerunt Pace tanquam benigna quædam Numina salutares esse, magnitudinem suam felicitate subditorum æstimare.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Benignitatem atque clementiam horum piorum Principum mirabuntur omnes, nemo satis prædicabit. Inducias tamen admiserunt, non quia bello meliores existimabant; sed ut Belgæ se legitimos Principes habere tandem scirent, non tantùm belli Duces, ut anteà. Secundò, magna pars Flandriæ & Brabantiæ ubique vastata, incendiis deformata, bonis spoliata, non ab Hollandis solùm, sed etiam à Francis sub Duce Alençonio, vix emergere poterat & respirare: ideòque rectè aliquod intervallum datum fuit. Tertiò, multa nec contemnenda consilia, tunc se per-opportunè offerebant, quæ in vulgus exire non debent. Sunt tamen, qui Inducias illas non fuisse necessarias contendant; imò utilius fuisse, si cum Hollandis Inducias non quæsivissemus. Ratio est, quia ad extremum redacta erat Hollandorum potentia, & annuum fœnus ita grave, ut omnes eorum proventus ei ferendo nimis quàm impares essent. Testatur Scribanius in Politico-Christiano lib. 2. cap. 42. *Eorum debita nono ante Inducias anno, sex & viginti argenti milliones superasse.* Quantum putamus accrevisse spatio novem annorum, qui Inducias præcessērũt? Non errabo, si ad centum milliones debita pertigisse dixero.

 Exhau-

Exhauſtum igitur erat eorum ærarium, magnum æs alienum. Nos autem ferendo bello pluſquàm pares eramus. Nam numquid pecuniæ ſuffecerunt, ut Comes Bucquoyus cum exercitu ad ſuppetias Imperatori ferendas in Bohemiam mitteretur? Vt Spinola, Dux circumſpectiſſimus, Aquiſgranum Regi adjiceret, Weſaliam invaderet? Vt Palatini ditiones, petente Imperatore, occuparet, & de quinquaginta ſeptem urbibus, arcibuſque triumphare poſſet? Ego has Inducias Divinæ providentiæ tribuo. Voluit hoc Deus, ut ſic ſecuriùs Ferdinando Imperatori tot hoſtilibus copiis circumcincto auxilium dari poſſet: qui præter unam ferè Viennam omnia amiſerat, Hungariam, Bohemiam, Sileſiam, Luſatiam, Moraviam, Auſtriam quoque ſuam. Sed ſi tantus Induciarum amor in Alberti Principis noſtri pectore; cur, cùm finis earum appeteret, legationem non miſit, ut durarent? cur, poſtquàm deſiêre, bellum non recuſavit? cur tunc deſiit pace ſalutaris eſſe, & magnitudinem ſuam felicitate ſubditorum æſtimare? Suſcipiendum duxit, & ad poſteros, cùm ſe deficere videret, tranſmiſit, tamquam neceſſarium. Niſi autem mors, rerum omnium terminus, nobis longiorem ejus vitam invidiſſet: belli finem, fractis Rebellium viribus, jam fortaſſe videremus.

Littera D. Pvteani.

Sed ego, ut omni ſermone bellum excludam, Pacem Inducias vocare amo, Inducias Pacem: ſi quid diſcriminis eſt, ſpatio definitur. Pax brevis & ſequeſtra, alio nomine Induciæ ſunt, Induciæ longæ nihil à Pace differunt. An expetendæ, hinc vel maximè jam licet ſtatuere: Dolent omnes, & uno affectu dolent, interciſas eſſe. Audiantur voces, ſuſpiria, gemitus. Etiam lacrymæ fluunt, tanquam ſanguinem denuò effuſum abluant. Ergo quæ tandem conſilia capienda ſint, ipſa populorum vota indicant, aliquem ſaltem poſtulantium belli finem, Pacis nomine; aut ærumnarum intervallum, ſi facilior Induciarum ratio eſt.

Reſponſio

Responsio Politico-Catholici ad Litteram D. Puteani.

Puteanus.

An expetendæ, (scilicet Induciæ) *hinc vel maximè jam licet statuere: Dolent omnes, & uno affectu dolent, intercisas esse. Audiantur voces, suspiria, gemitus. Etiam lacrymæ fluunt, tanquam sanguinem denuò effusum abluant. Ergo quæ tandem consilia capienda sint, ipsa populorum vota indicant, aliquem saltem postulantium belli finẽ, pacis nomine; aut ærumnarum intervallum, si facilior Induciarum ratio est.*

Politico-Catholicus.

Vilium hominum sunt ista suspiria. Clarorum & generosorum voces hæ: iterum Deo Regiq; uniatur Hollandia; aut infesto petatur bello, etiam cum omnium bonorum nostrorum jacturâ nunquam terminando. Et ullúmne bellum, ubi non suspiria, gemitus, lacrymæ? Pulchrum sanè, si Cæsar statim suum Imperium Sueco, & reliquis hæreticis cessisset: ne suspiria & gemitus Germanorum audire cogeretur. Debent Reges subditis lætam pacem adferre, nisi adsit injuria bello vindicanda. Sicut Reges populum ab injuriâ arcere debent; etiam cum capitis sui & Coronæ periculo, atque ipsam belli diuturnitatem non perhorrescere; eodem animo populus esse debet erga Regem. Amor in Regem & fides officiosa postulat; ut lacrymas & suspiria cohibeamus; ut cum alacritate belli calamitates feramus; ut per ensium fulmina Regem tueamur. Aderit Deus aliquando, ut omnes boni sperare debent, & omnes hostes læto fortunæ successu florentes prosternet: facilè & uno quidem ictu prosternendos, si vel minimùm fortuna reflaverit. Sæpè hactenus adversa sensimus? *Patrium* (ait Seneca lib. de Provid. cap. 2.) *habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat: & operibus,* inquit, *doloribus, ac damnis exagitantur, ut verum colligant robur.* Feramus igitur; querelis, gemitibus, suspiriis, & lacrymis frœnos ponamus. *Nam optimum est* (ait idem, sed alio loco, nempe epist. 107.) *pati, quod emendare non possis:*

& Deum,

& Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. MALUS MILES EST, QUI IMPERATOREM GEMENS SEQUITUR. *Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur intertextum est.* Hæc ille.

Littera E. PUTEANI.

Homines sumus, non feræ, ad humanitatem & mansuetudinem nati, quæ Pacis sive mater, sive alumna est; infesta bello, quia cum violentiâ, sævitiâ, rapinâ conjungi nequit. Pax, ut sic dicam, virtus est; bellum scelus: Pax sanitas, bellum morbus. Pace enim vigent bona omnia, ut felices & florentes simus; bello mala, ut miseri & infelices. Pace homines sumus, bello barbari: non homines, si belli caussâ bellum gerimus, & brevem vitam, in longam pugnam commutamus. Non ego damno penitùs ac rejicio arma; cùm sciam, pacis caussâ necessaria interdum esse, & tanquam instrumenta usurpari; sed examino, an bona & utilia sint, & ad Pacem tendant. Sumi faciliùs possunt, quàm poni: sumi jure possunt, injuriâ exerceri. Sed quorsum luctari semper, si non aliquando vincimus? navigare semper, si nullus portus est? ire semper, ut à quiete longiùs recedas? Per bellum ad Pacem via est; & Sapientes, *ut Sallustius ait*, pacis caussâ bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. *Quæ nostra verò conditio? Bellum belli finis est, labor laboris. Per calamitates ad calamitates pergimus, & non vincere melius aliqui putant, quàm non pugnare. Tragici voce queri lubet.*

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit arvis, subditâ tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est.

Responsio

Responsio Politico-Catholici ad litteram E. Puteani.

Pvteanvs.

Homines sumus, non feræ, ad humanitatem & mansuetudinem nati, quæ pacis sive mater, sive alumna est, infesta bello; quia cum violentiâ, sævitiâ, rapinâ conjungi nequit. Et infrà. *Pace homines sumus, bello barbari: non homines, si belli caussâ bellum gerimus, & brevem vitam in longam pugnam commutamus.*

Politico-Catholicvs.

Gratias Puteano Rex agat; agamus & nos, seu Hispani, seu Belgæ sumus. Nobis hodie nomen, vel nominum acervus imponitur. Non homines, sed feræ, sed barbari appellamur. Enimverò quinam alii? quippe Batavos & Auriacum Inducias expetere dicis infrà. Nos ergo feræ, barbari, non homines, qui pacem non optamus, & belli causâ bellum gerimus. Sed quæ dementia, si belli causâ bellum gereremus! Non adeò saxei sumus, qui Pacis dulcedinem non amemus. Sed ostende illam bono modo fieri posse, & cum Regis dignitate. Hostibus iniquas pacis leges ferentibus, Rex serviet? Optabant Status nostri pacem, si cum ratione firmari posset: & ut Regem, Hispanos & Belgas ad humanitatem & mansuetudinem natos, non infestos paci, verè homines, non barbaros & feras ostenderent; ultrò in Hollandiam profecti sunt, nec paucis ibi mensibus hæserunt: ipsi autem non homines, sed feras, ad perfidiam & rebellionem natos, infestos paci, bello barbaros repererunt; qui adversùs Deum & Regem prœliari desiderant, & brevem vitam malunt in longam pugnam commutare. Nec est cur Hispani belli causâ bellum gerant, & belli in Belgio diuturnitatem optare debeant; sicut suprà (ad litteram B.) memoravi.

Pvteanvs.

Non ego damno penitùs aut rejicio arma, cùm sciam pacis causâ necessaria interdum esse, & tanquam instrumenta usurpari: sed examino an bona & utilia sint, & ad pacem tendant.

Cur ergo damnasti penitùs & rejecisti, cùm dixisti in litterâ C. *Pessimum sanè bellum est, omnis fundamentum & munimentum mali. Bellum, inquam, est semper malum, pessimum cùm extenditur?* Hæc tua verba planè bellum damnant, penitusque rejiciunt. Deinde non opus erat tuo examine, an arma Regis bona & utilia sint, & ad pacem tendant. Primò patet nos pro Religione Catholicâ pugnare, quam hostes tentant evertere. Nam sublato illius exercitio, permissâ hæreticis libertate, & jam nuperrimè Sylvæducensi Præsule & Abbate Postellano in fugam compulsis, Canonicorum Sylvæducensium facultatibus, ex nimiâ contributione in alimenta Calvinistarum Ministrorum, oppressis, sex pastoribus Calvinistis in eodem Sylvæducensi territorio in locum Catholicorum Pastorum constitutis, & iisdem Calvinistis in locum eorundem Pastorum, qui deinceps morientur, substituendis; negato uno Canonicatu, quem Catholicus ante captam urbem obtinuerat, & hæretico in locum unius Canonici demortui novissimè Trajecti substituto, ut paulatim omnia Ecclesiasticorum bona rapiantur: quid aliud, nisi extremam Catholicorum perniciem moliuntur? Hæc sola Religionis Catholicæ in Hollandiam reducendæ causa bellum hoc faceret bonum, justum, sanctum, utile fidei & Regi, qui à Deo mercedem sui piissimi zeli recipiet. Non damnanda & rejicienda sunt arma, quæ Reges aut populi pro solâ Religione suscipiunt. Audi Phineem virum spectatæ fortitudinis apud Philonem lib. 1. de vitâ Moysis. *Non de imperio*, inquit, *nunc certamen instat, nec de invadendis occupandisq; alienis possessionibus, quæ causa belli vel sola movet alios, vel præcipua, sed pro tuendâ pietate ac sanctimoniâ, quam nostris cognatis amicisq; dum hostes eripiunt, paraverunt eis gravissimam perniciem. Absurdum igitur & periniquum fuerit, si parcamus sceleratis hostibus.* Similem orationem usurpare posset apud nos generosus aliquis Ductor. Et verò cùm per Brabantiam & Flandriam libertas Religionis esset à Principe Auriaco & Statibus promulgata, Artesii, Hannonii,

nonii, Namurcenses, & alii Wallones, Duce Montignio aliisque generosis Ducibus, pro solâ verâ Religione arma ceperunt. Hæc est una ratio: cui adde Regiam potestatem, quam sumere potest, ut suum Patrimonium repetat, quod hostes occupant sine jure, solo nomine fucatæ libertatis. Quando igitur hos impiæ libertatis amatores & Rebelles subjecerit, tunc bellum deponet atque in pace conquiescet. Quis enim Regi inesse credat tantam belli cupiditatem, Regis mentem esse tam profligatæ crudelitatis, ut numquam pacem habere, sed belli causâ bellum gerere velit? Absit hæc opinari: arma Regis ad pacem tendere credamus. *Nemo enim est* (ait Aristoteles 10. Ethicor. cap. 7.) *qui vel bellum expetat, vel apparatum bellum faciat bellandi causâ. Sanguinarius enim prorsus quidam esse videretur, si amicos eâ causâ sibi hostes redderet, ut pugnæ & cædes orirentur.* Et optimè ad propositum nostrum faciet Augustinus lib. 9. de Ciuit. cap. 12. *Sicut*, inquit, *nemo est, qui gaudere nolit: ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi, qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt. Ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire: nam quid est aliud victoria nisi subjectio repugnantium? quod cùm factum fuerit, pax erit.* Et infrà. OMNIS HOMO ETIAM BELLIGERANDO PACEM REQVIRIT, NEMO AVTEM BELLVM PACIFICANDO. *Nam & illi, qui pacem, in quâ sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo ut sit pax nolunt, sed ut ea sit quam volunt.* Et iterum paulò infrà. *Pacem cum suis omnes habere cupiunt, quos ad suum arbitrium volunt vivere. Nam & cum quibus bellum gerunt, suos facere, si possint, volunt, eisq; subjectis leges suæ pacis imponere.* Hucusque Augustinus: ex quo evidenter confici potest, fieri non posse, ut Rex belli causâ bellum gerat, sed pacis: ut Regis arma ad pacem non tendant: quandoquidem bella omnia ad pacem tendant. Quando ergo Rex videbit eos ita dispositos, ut velint ad arbitriũ suum vivere, id est, secundùm Catholicæ Religionis instituta; quando eos fecerit suos,

eiſque ſubjectis bonas & ſanctas leges ſuæ pacis impoſuerit: tunc pax erit.

PVTEANVS.

Quorſum luctari ſemper, ſi non aliquando vincimus? Navigare ſemper, ſi nullus portus eſt? ire ſemper, ut à quiete longiùs recedas? Per bellum ad Pacem via eſt, & Sapientes, *ut Salluſtius ait,* pacis causâ bellum gerunt, laborem ſpe otii ſuſtentant. *Quæ noſtra verò conditio? bellum belli finis eſt, labor laboris. Per calamitates ad calamitates pergimus, & non vincere melius aliqui putant, quàm non pugnare.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Luctamur, ut vincamus. Navigamus, ut portum teneamus. Imus, ut ad quietem accedamus. Feræ, aut homines ſanguinarii ſumus, ut jam ſtatim oſtendi, ſi belli non pacis causâ bellum geramus. Et quis tam improbè bellum amet: ut melius putet non vincere, quàm pugnare? Belluarum eſt, inutiles pugnas optare. Stultorum & planè amentium, victoriam non deſiderare. Quòd autem bellum non ſit belli finis, nec labor laboris, ſed ſemper novus quidam belli & laboris gradus: primò inde fit, quòd non tantùm contra Batavos, ſed Reges & Reſpublicas nobis ſolis pugnandum ſit; adeò ut nullus diuturnitatem belli mirari debeat. Secundò, ſi bellum nondum finem invenerit, non per eos ſtat, qui patriæ ſaluti invigilant. Domeſtici quidam hoſtes malorum noſtrorum fuerunt authores: quorum aliqui ad Hollandos transfugerunt; alii, dum Patriæ videntur ſtudere, manu, conſilio, conjurationibus, ſubdolis, machinamentis non minùs quàm armis, & etiam armis quaſi pro ſalute Patriæ ſumptis, infeſti, nos in has calamitates conjecerunt. Quæ tamen nondum tantæ ſunt, ut victoriam debeamus deſperare.

PVTEANVS.

Tragici voce queri lubet:

Si æterna ſemper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;

Nihil

Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit arvis, subditâ tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est.

POLITICO-CATHOLICVS.

Absit à nobis bellorum & odiorum æternitas: hanc execramur. Brevi deponentur odia, & statim cedet ex animis furor, si hostes Deum Regemque velint agnoscere. Et intuere Brabantiam, Flandriam, Arthesiam, Hannoniam: nondum ibi vastis ager squallescit arvis; nondum illas gentes incendia & cineres obruerunt. Denique nobis non est necesse pacem reduci velle, quia nondum victi sumus.

Littera F. PVTEANI.

An fallo? sed nec fallor. Nostra nobis seditiones bella sunt, plura hactenus & timenda semper, nisi semel tandem desinamus hostes habere. Cæterùm communia mala peculiari morbo nostra sunt: quot obsidia, tot urbium funera; quot pugnæ, tot hominum laniena; quot agmina, tot ruris supplicia; quot turmæ, & catervæ, cohortes, & acies, tot furiæ ad exitium agrorum & hominum armatæ. Hoc bellum, sed magis Belgicum, non potest sine rapinâ, cæde, incendio, vastitate geri. Hæ Regum Principumq; lites sunt, sed sanguineæ; nullæ tam justæ, quin injustæ, si æternæ fiunt. Pertinacia facit, ut aliquid semper in armis iniqui sit, etiam cùm iniqua ipsa non sunt: magis autem incipiunt arma esse, cùm instrumenta crudelitatis fiunt. Malis si moram addis, bis mala sunt. Bona ipsa, quando corrumpi incipiunt, mala fiunt. Caussam belli cùm calamitas vincit, & plus damni quàm æqui est; plus etiam sævitiæ, quàm belli erit. Si nec post sexaginta annos armorum feriæ sunt, quando erunt? Res omnes, cùm modum excedunt, vitium induunt. Bellum, cùm diutiùs durat, exitium est, & in vulnus gangrenâ fœdum abit: tempestivè compositum, noxam aufert, omnemq; simul cicatricis deformitatem delet. Sed nostrum hoc, quia longum, sævum, indomitum, non possum nisi incendium, ac diluvium appellare. Crescent damna, nisi quamprimùm remedia sint, & serpentibus adhuc flammis

flammis aquisq́ impedimenta & repagula objiciantur. Imò nostrum hoc, quia civile, plus quàm bellum est, quod quemadmodùm majoribus odiis geritur; ita præter arma sævitiam assumit: verè cruentum, quia sanguinem æstimare desiit.

——— Quem das finem Rex Magne laborum?

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram F. Puteani.

PVTEANVS.

Communia mala peculiari morbo nostra sunt: quot obsidia, tot urbium funera; quot pugnæ, tot hominum laniena; quot agmina, tot ruris supplicia; quot turmæ, & catervæ, cohortes, & acies, tot furiæ ad exitium agrorum & hominum armatæ.

POLITICO-CATHOLICVS.

Quomodò communia bellorum damna peculiari morbo nostra sint, non video. Obsidia urbium nullibi cum minori damno. Alibi cùm civitates oppugnantur, non ferro sed igne nitrato agitur, franguntur omnia, plurima mortis imago: hîc autem cinguntur urbes, & ferè jam tantùm cinguntur, non solo æquantur, non delētur incendiis, nulla fit auri & argenti præda. Quomodò igitur obsidia, sunt urbium funera? Multas deinde pugnas non vidimus; quia Batavi nostrorum fortitudinē veriti, semper pugnam declinant; nullæ à ruptis Induciis lanienæ hominum. Majus est quod sequitur, nempe quot turmas, & catervas, cohortes, & acies, esse tot furias ad exitium agrorum & hominum armatas. Vides quomodò nec unam turmam & cohortem ab hâc labe immunem facias? Ob aliquorum militum insolentiam, quæ in tantâ multitudine omninò vitari non potest, quia inter bonos semper mali; integras turmas, & catervas, cohortes, & acies dicis esse furias ad exitium agrorum & hominum armatas. Sed quod unquam tam sanctum bellum, in quo agricolæ injuriam non sunt passi? Nónne Suecus, tanti apud Politicos nominis, vastavit, & evertit omnia, sacra & prophana, agros in avias solitudines redegit? Si Germaniam squallentem mecum vidisses: fluxissent lacrymæ, & uberes.

At

At quomodò milites nostri furiæ sunt, ad exitium agrorum & hominum armatæ? Vix crediderim ullum exercitum nobiliorem nostro, mitiorem nostro. Non mitiores Hollandi, quorum copiæ ex Gallorum Calvinistarum (id est furiarum humani generis, ut eorum crudelitas in Galliâ testis fuit) Scotorum & Anglorum, id est, improborum hæreticorum, colluvie & fæce constant. Scio quidem inter nostros non deesse, qui suâ rapinâ & insolentiâ, aliorum gloriç turpem notam inspergant: sed quæ societas, etsi optima, malos non habet? Tibi ex castris significo, non parvam Capitaneorum, & lectissimorum militum partem ægro animo hæc tua tulisse convitia: quorum agnosce mansuetudinem, dum dedecus sibi tuo stylo illatum, ferro ultum non eunt.

PVTEANVS.

Hoc bellum, sed magis Belgicum, non potest sine rapinâ, cæde, incendio, vastitate geri.

POLITICO-CATHOLICVS.

Imò nulla apud exteras nationes bella tam parca cædis, & sanguinis, incendii, rapinæ, & vastitatis, quàm Belgica. Vincuntur, amittuntur urbes sine ullâ cæde; occupantur sine rapinâ, incendio, vastitate. Florentes videas agros etiam inter ipsum belli pulverem. Per tot annos Mars nostris arvis ncubuit, & nondum fames. Gallica inspice; omnem secum insolentiam, rapinam, & vastitatem trahunt: satis Gallorum furias olim probarunt Belgæ. Quid Germanica? vix lolia & tristes avenæ stantes relinquuntur, urbes cædibus exhauriuntur, incendiis absumuntur omnia, ubique vastitas & solitudo. Inter has tamen calamitates, pars maxima bonorum & fidelium Cæsarem tuetur. Quidni inter aliquot malorum procellas & longè minores, nos etiam Regis nostri jura fortiter tueamur?

PVTEANVS.

Hæ Regum, Principumq; lites sunt, sed sanguineæ; nullæ tam justæ, quin injustæ, si æternæ fiunt. Pertinacia facit, ut aliquid semper in armis iniqui sit, etiam cùm iniqua ipsa non sunt: magis autem

incipiunt

incipiunt arma esse, cùm instrumenta crudelitatis fiunt. Malis si moram addis, bis mala sunt.

POLITICO-CATHOLICVS.

Rex suâ lite sanguinem non petit, sed Patrimonium, quod sine sanguine ac controversiâ, secundùm jura omnia, restituendum est. Quid? adversarios sine jure actionem instituentes, & per nefas æternâ cum pertinaciâ litem prosequẽtes, ego æternâ constantiâ justam mei defensionem non prosequar? Benè profectò nobiscum ageretur, si semper impiis accusatoribus hæreditates fortunasque nostras à majoribus relictas, vel anhelis sudoribus partas cederemus; veriti eorum in litigando pertinaciam. Sæpè bonitatem causæ superat, cui major potentia, & cedere cogitur cui minores ad litigandum opes: cur cedat Rex, cui melior causa, majores etiam ad pugnandum vires? Pia igitur, laudabilis, & rationi consentanea est Regis nostri constantia; nihil iniqui habet, nec habere potest, quamdiu sua repetit jure, quod numquam justum non erit. Denique Regis arma ob moram bis mala esse non possunt, cùm nec semel sint mala; quia semper justa: non instrumenta crudelitatis; quia nemo crudelis, qui debitum exigit, aut rem suam justè repetit; cùm præsertim nostri nullam crudelitatem exerceant.

PVTEANVS.

Causam belli cùm calamitas vincit, & plus damni quàm æqui est; plus etiam sævitiæ quàm belli erit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Calamitas causam belli vincere non potest: cùm causa belli primaria sit Catholica Religio, quæ Deum spectat, utpote infinitum. Denique ut Regi sua recuperare cupienti pareamus, nulla calamitatum genera detrectare, sed fidem nostram sanguine debemus consignare. Plus sævitiæ quàm belli non est: aut si fingis aliquam, tribue adversariis, qui hujus sævitiæ sunt authores, dum pertinaciter errores tuentur, & aliena usurpant.

PV-

PVTEANVS.

Si nec post sexaginta annos armorum feriæ sunt, quando erunt?

POLITICO-CATHOLICVS.

O strenuum & indefessum bellatorem! tam citò fessus, qui nondum sumpsit arma? At pateris communes belli calamitates. Si has patiaris, facis quod omnes.

Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat. ait Seneca in Troadibus.

Adversa fidelitatem, quam Regi præstare convenit, ut ignis aurum probant: longâ temporis infesti diuturnitate splendescit. Monebat Ovidius;

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Ejusdem sententiæ fuit Tullius lib. 9. epist. 16. *Non facilè*, inquit, *dijudicatur amor verus & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.* At, nónne sexaginta anni sufficiunt? Quamdiu tuâ operâ indiget is, quem verè & fideliter amas, numquam neganda; sed semper cum gaudio præstanda usque ad mortem.

PVTEANVS.

Res omnes, cùm modum excedunt, vitium induunt: bellum, cùm diutiùs durat, exitium est, & in vulnus gangrænâ fœdum abit: tempestivè compositum, noxam aufert, omnemq; simul cicatricis deformitatem delet.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nihil aliud optarunt Reges Hispaniæ, quàm ut citò bellum componeretur, sed salvâ Religione & suo jure. Cùm Albertus Princeps omni memoriâ dignus, in Belgicas Provincias appulisset, prima ejus cura fuit, ut ad Status Hollandicos mitteret, an pacem vellent, sæpiusque id egit: sed pacem Rebelles repudiarunt. Quomodò ergo tempestivè componi poterat, cùm primo illo fervore incalescerent Rebellium animi? Vires deinde à Regibus, & Rebuspublicis acceperunt, quæ omnia nobis difficilia reddidêre; cùm in plu-

res solus Rex Hispaniæ pugnaret. Audi Veridicum Belgicum pag.123. *Notandum*, inquit, *universam tam numerosorum exercituum, procul Hispaniâ militantium, impensarum molem tot annis, suis Regem nostrum solum humeris sustinere debuisse: Batavorum econtrà oneri varios Europæ Reges, Principes, ac Respublicas, militem & aurum eis submittendo, humeros subjecisse, & in laboris velut partem venisse. Atque hæc diuturni hujusce belli potissima est causa. Scias namque oportet, non adversùs solos Batavos, sed omnes penè orbis Christiani Reges, quin & Principes & Protestantes, sub nomine Batavico sexaginta propè annis Regem nostrum bellum gessisse.* Quid mirum ergo, si bellum duraverit, si vulneri celerior medicina non potuerit adferri? Regi non adscribendum, qui pacem obtulit, qui nec viris, nec sumptibus pepercit hactenus.

PVTEANVS.

Nostrum hoc, quia longum, sævum, indomitum, non possum nisi incendium, ac diluvium appellare: crescent damna, nisi quamprimùm remedia sint, & serpentibus adhuc flammis aquisq; impedimenta & repagula objiciantur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Longè olim majus incendium & diluvium, quandò à Fide & à Rege Gandavum, Ypræ, Brugæ, Tornacum, Cortracum in Flandriâ; Antuerpia, Bruxella, Mechlinia, Diestum, Arschottum, & plurima alia loca in Brabantiâ defecerant; & tamen Dei benignitate incendium restinctum est, diluvium intra terminos & aggeres redactum. Non desunt, qui nunc etiam dabunt remedia, qui flammis aquisque impedimenta & repagula objicient.

PVTEANVS.

—— Quem das finem Rex Magne laborum?

POLITICO-CATHOLICVS.

Turpis hæc est apud Regem laborum suorum querelâ. Pulchrum & decorum est, pro Rege labores ferre, pro Rege & Patriâ non alium finem calamitatum reperire, quàm mortem.

Lit-

Littera G. PUTEANI.

Horreat sermo, si ad tabulam & memoriam, clades, funera, & quantum mali invectum est, revocem. Homines, & ipsi agri gemunt, populi, & urbes, pacemq; à Clementissimo Rege precibus & votis flagitant: otio & quiete digni, quia tam sævam tempestatem tam patienter tulêre. Pietatis munus est, otii ac quietis causam suscipere; ut si malis modus non sit, sit sumptibus, qui omne jam belli pretium, & quicquid bello petitur, excedunt. Ærarium maximum, & quod fundo caret, exhaustum est. Thesauri penè innumerabiles profusi: lassa liberalitas, & adhuc miles eget; hosti similis, & urbibus agrisq; infestus Regiis, quia arida & sicca stipendiorum vena est. Necessitas legem non habet: nescio tamen fœdiori flagitio ad rapinam, an dedecore ad mendicitatem stipendiarii Regii, Martis alumni, veniant. Vt concedam corrigi hæc posse: quid paucis tamen insulis omnium Regnorum vectigalia ac tributa impenduntur? Si rectè calculum ponimus,

Vix tanti fuerat Civilia bella moveri:

imò si ponimus, vix tanti victoria est: & adhuc pugnamus?

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram G. Puteani.

PUTEANUS.

Horreat sermo, si ad tabulam & memoriam, clades, funera, & quantum mali invectum est, revocem. Homines, & ipsi agri gemunt, populi, & urbes, pacemq; à Clementissimo Rege precibus & votis flagitant: otio & quiete digni, quia tam sævam tempestatem tam patienter tulêre.

POLITICO-CATHOLICUS.

Sæpiùs jam, sed aliis verbis, idem cecinisti; nec semel respondi.

PUTEANUS.

Si malis modus non sit, sit sumptibus, qui omne jam belli pretium, & quidquid bello petitur, excedunt.

POLITICO-CATHOLICUS.

Belli pretium non solùm est Batavicæ regionis possessio, sed in illam Religionis Orthodoxæ introductio; pro quâ non solùm fortunas nostras, sed vitam quoque profundere, glorio-

gloriosum. Quot præstantissimi Heroës vitam morti objecerunt, ut Catholicam Religionem suo sanguine defenderent! Divitias vel Crœsi, vel Crassi tibi propone: nihil carius & pretiosius vitâ reperies. Cur ergo sumptibus & divitiis parceremus, cùm nec pro Religione conservandâ nequaquam vitæ parcere debeamus? Nulli sumptus, veram Religionem, quę belli pretium est, & quod bello petitur, possunt excedere: cur de sumptibus querimur? Reges Galliæ solâ Hispanicæ potentiæ invidiâ, aut vano metu, nullâ spe propriæ utilitatis, *Hollandis adversùs Hispanum bello certantibus, supra centum ac duodecim florenorum milliones* (credet posteritas?) *erogarunt.* Ita loquitur Apocalypsis Batavica, impressa anno 1626. Et ab illo anno supra viginti tres etiam argenti milliones tribuerunt: nec ita diu præteriit, cùm Bruxellam quinquaginta millia nummorum, quos pistollas vocant, ad excitandam seditionem miserunt. Vt taceam ingentia munera, quibus nostrorum defectionem sollicitarent & foverent. Veneti quoque pecunias plurimas suppeditarunt, qui nec Bataviã sperare possunt: & Rex sumptibus parcet, ad quem Batavia pertinet? Tributis gravantur Rebellium Provincię, quæ non solùm è domibus, sed etiam supellectile, agris, & universis possessionibus pro taxatione ad rerum valorẽ factâ pendunt; servi & ancillæ etiam à tributis usque ad vestes & calceos immunes non sunt: & tamen, ob tributa nondum apud illos orta seditio; promptissimi sunt, ô utinam in bonâ causâ! Apud nos erunt querelæ sumptuum, qui non in rem impiam & iniquam, sed piam & justam conferuntur? hostes, ut falsam fidem & noxiam libertatem stabiliant, non decimum (hoc nomen fugiunt ob tempora Ducis Albani) sed plusquàm quintum (ut à viro fide digno comperi) bonorum nummum pendunt, & vectigalia ferè rebus omnibus imposita; quinimò domorum singularum possessores septimum nummum, agrorum quintũ, quod est intollerabile gravamẽ. Nos verò ut veram Religionem promoveamus, qui minùs gravamur, petemus, ut Rex modum ponat sumptibus?

Vel,

Vel, Rex pro Fide Catholicâ restituendâ, suâque hæreditate recuperandâ, sumptus facere verebitur?

PVTEANVS.

Ærarium maximum, & quod fundo caret, exhaustum est.

POLITICO-CATHOLICVS.

Si fundo careat, quomodò exhaustum? Aliorum Regum exhauriri possunt æraria: exhauriri non potest ærarium Regis Hispaniæ. Semper inveniet quod hauriet ex utrâque Indiâ, quæ ferax auri argentique est; imò, ubi summa necessitas, hauriet ex ipsâ Hispaniâ, *ubi sunt metalla auri & argenti*, Machab. 1. cap. 8. Et quomodò exhaustum Regis ærarium, cùm, ut ait Scribanius lib. 2. Polit. Christ. cap. 42. *Supra sex & viginti auri milliones annuè Regio inferantur ærario*? Sed ponamus exhaustum esse, an ideò pecuniarum inopiâ feriæ armorum? An ideò Rex ad ultimę necessitatis terminos redactus? Imò sine ærarii sui gravamine aut imminutione plusquàm centum millia hominum poterit in aciem producere & sustinere, quando lubuerit. Ex Veridico Belgico & aliis quædam mutuari non pigebit: breviter perstringam. Hispania, Lusitania, Orientalis & Occidentalis India, Neapolis, Sicilia, Mediolanum, & aliæ Provinciæ, facilè complectuntur ducenta & ampliùs locorum & oppidorum millia. Quippe Ferdinandi III. Regis tempore, in solâ Bæticâ ducenta & ampliùs oppida, & centum pagorum millia numerabantur, licèt hic numerus sit valdè jam imminutus. Si quilibet locus, aut quodlibet oppidum præter ordinaria vectigalia quæ Regi penduntur, det unius militis stipendium: ecce statim ducenta armatorum millia. Quàm autem hoc facile! Vel ex quolibet Baptisterio, unius militis stipēdium educatur: tunc sine ullo ærarii Regii incommodo repentè ingens prodibit, & aletur exercitus. Nam in solo Castellæ Regno plusquàm octoginta Baptisteriorum millia recensentur, licèt Madritum pro uno tantùm Baptisterio numeretur: collige quantus Baptisteriorum sit numerus in Lusitaniâ, Aragoniâ, Ca-

talauniâ, Valentiâ, Navarrâ, Sardyniâ, Corsicâ, Balearibus, Neapoli, Siciliâ, Mediolano, in utrâque Indiâ. Tertiò, quid si Rex ab Ecclesiasticis & Nobilibus petat, ut suo sumptu exercitum alant? Archiepiscoporum & Episcoporum opes illius Regni magnæ sunt. Habent Archiepiscopatus annuè 700. aureorum millia & 50; Episcopatus ad minimum habent 800. aureorum millia & 70; licèt Archiepiscopatus & Episcopatus utriusque Indiæ, Sardiniæ, Siciliæ, Neapolitani Regni, Mediolanensis Provinciæ, & aliarum in numerum non veniant. Ordines militares magnos habent proventus, scilicet 950. aureorum millia, 387. aureos. Ecclesiastici igitur (non comprehendo Abbates & Canonicos) habent milliones auri duos, 582. millia, & aureos 387. Sæculares Principes, quos *Grandes* nominamus, quorum aliqui Duces, Marchiones, Comites, percipiunt annuè sex auri milliones; in Hispaniâ duos milliones auri, 604. aureorum millia; Grandes in Italiâ, 970. aureorum millia: alii Duces, Marchiones, Comites Hispaniæ, qui non sunt Magni, tres auri milliones, 151. aureorum millia. Igitur sæculares Principes habent sex auri milliones, 725. aureorum millia. Summa bonorum (quæ Archiepiscopi, Episcopi, Ordines militares, & sæculares Principes percipiunt) ascendit ad novem auri milliones, 307. aureorũ millia, 807. aureos. Alia Regna considera, quæ Regi Hispaniæ parent: quanta illîc in Nobilibus opum affluentia! Si Rex, ad bellum gerendum, à singulis juxta cujusque conditionem, notabilem summam postulet: nónne hæ voluntarię contributiones magno augmento Regium ærarium opulentabunt? Sed hæc relinquo, quia ab aliis fusè tractantur, & præsertim à Scribanio lib. 2. Polit. Christ. cap. 42. Breviter attigisse mihi sufficiat. Ex quibus patet non deesse modos Regi Hispaniæ, quibus magnos exercitus alat, etiam sine ærario; vel quibus ærarium, si foret exhaustum, statim locupletare posset. Possent se Batavi his æquiparare? Eorum annuus proventus, quâcumque arte & fraude quæsitus, vix ad undecim argenti milliones exurgit: indigent

indigent autem annis singulis, quindecim argenti millionibus, ut vult Scribanius ibidem. Quod verum esse ostendo. Wenceslaus Meroschuva Bohemus in epist. ad Ioannem Traut Norimbergensem, de statu belli inter Fredericum Palatinum & Ferdinandum Cæsarem, ex castris Bohemicis missâ, à Wallonibus interceptâ, & impressâ anno 1620, agens de pecuniâ, quæ Frederico deerat, dicit nec à Venetis, nec à Turcis, nec à Britannis, nec à Batavis expectandam. De his ultimis sic loquitur: *Batavi verò recordantur nuper se in singulos annos quatuor milliones suprà censum exposuisse, ut probarunt Barneveltio procuratores.* Et jam fama est certissima, à tempore obsidionis Sylvæducensis, Status Hollandiæ tanto ære alieno obstrictos esse, ut plusquàm centum & quinquaginta florenorum milliones debeant: & cùm non nisi undecim argenti milliones annuè habeant, quotannis sex mellliones redituum solvere cogantur. Nec mirum est, quandoquidem, non ut antè quindecim, sed octodecim millionibus (nam præsidiorum urbiumque muniendarum numerus crevit, majorique apparatu bellum gerunt) singulis annis indigeant. Ex societatibus Indicis Orientali & Occidentali, nihil in ærarium fluit: quippe sic sunt oppignoratæ, quemadmodùm vir probus mihi retulit, ut qui pecunias apud has societates habent, planè desperent, sintque contenti, ne totius jacturam faciant, ex societate Orientali (nam Occidentalis magis gravata est, cujus classis jam recenter sine fructu rediit, cùm ingentes anteà sumptus fecisset, quibus solvendis par non erit) florenos 25. recipere, qui ex jure 100. se percepturos sperabant. Adde Occidentalem hanc jam in summas angustias, & fortasse extremam perniciem venisse, ob magnam suorum stragem apud Pharnambucum. Mille ex arce suâ digressi fuerant ad necessaria sibi conquirenda: Albuquercius in eos impetum fecit, octingentos occidit, alios in fugam compulit. Neque hæc sunt inania: nam & hujus rei Hollandos jam certos reddiderũt litteræ, quę monent relinquendũ Pharnambucũ, nisi propediẽ suppetiæ submittantur.

Et

Et Rex non bellum profequatur? si bellū profequi debeant, fient pumice aridiores, exanguis erit eorum Refpublica, auro velut fanguine destituta, & prorfus elanguefcet. Nos ergo minimè hâc belli diuturnitate frangamur; & Regis auxilio nixi, nequaquam ipsi fuum ærarium exhaustum, fed potiùs ipsifmet hostibus exprobremus,

PVTEANVS.

Arida & ficca stipendiorum vena est. Necessitas legem non habet: nefcio tamen fædiori flagitio ad rapinam, an dedecore ad mendicitatem stipendiarii Regii, Martis alumni veniant.

POLITICO-CATHOLICVS.

Militum quorumdam improborum fames auro expleri nequit. Infolefcunt femper, & quia pecuniæ in eorum manibus tantùm hofpitantur, non mirū, si diu nō hęreant. Hinc ad rapinam convertuntur, quia nihil intra diem fupereft, quod luxu aut aleis prodigant. Sed probis militibus, quorum non exiguus numerus, fuus femper ftet honor. Non fero audire ftipendiarios Regios effe ad mendicitatem redactos. Tu qui linguâ te Regis fervum profiteris, mendicus non es, etfi numerosâ prole gravis: quomodò mendici, qui fuum fanguinem Regi vovent? Sed fingamus aliquos mendicaffe: dic mihi, ubi non funt aliqui Vulturii & qui piceas habent manus? Regnat ubique hæc lues. Sed fimiles paucos effe crediderim, cùm vix ullos Regios ftipendiarios publicè ftipem petere videamus; vel fortaffis mendicant, ut fuis pecuniis parcant. Nifi dicam fortaffis plurimos tuas fores pulfaffe: quia, cùm Regis ærarium exhauftum paulò antè inter illos multos (de quibus in initio) fortaffe dixiffes; reftabat ut milites tuum ærarium tentarent. Nugæ. Adhuc lubentes caftra fequerentur, ut mendici effent? Non parvæ copiæ funt, & Marchio nondum folus. Igitur nondum ficca & arida ftipendiorum vena, nondum tanta neceffitas, ut maxima pars mendicare debeat. An fortè pars aliqua? In magnâ multitudine femper aliquos invenies miferos, quibus nihil fæpè præter

præter ferrugineum gladium; ſed ſuo vitio, quia ad miſeriam ſub infauſto ſidere nati videntur.

PVTEANVS.

Vt concedam corrigi hæc poſſe: quid paucis tamen Inſulis omnium Regnorũ vectigalia ac tributa impenduntur? Si rectè calculũ ponimus,

Vix tanti fuerat Civilia bella moveri:

imò ſi ponimus, vix tanti victoria eſt: & adhuc pugnamus.

POLITICO-CATHOLICVS.

Eandem quæſtionẽ Pelagius apud Veredicum Belgicum propoſuit: petens cur Belgicæ Provinciæ Hiſpano Regi adeò neceſſariæ & utiles videantur; ut nulla ob impendia, opum, Patriarum everſionem ac labores, eaſdem ſibi ille deſerendas ducat? Reſpondet Bonaventura acutiſſimè; rationes quaſdam (non enim placent omnes) in compendium conferam. Prima eſt, ob ſitum: nam Galliæ, Angliæ, & Germaniæ ſunt conterminæ, ideòque illarum veluti frœnum & terror. Secunda, quia ſunt totius Hiſpaniæ vallum, & adverſùs omnes Regis adverſarios propugnaculum. Tertia, quia faciunt ut Rex nec Gallos, nec Anglos, aut Germanos timere debeat: nam ſi adverſùs Regem ſe moveãt, Belgæ in eorum vicina Regna ſemper impetum facere poſſunt. Quarta, quia ſi Rex totum Belgium liberè poſſideat, imperium totius maris, ideòq; & totius orbis eſt habiturus. Quinta, quia ſi Rex has Provincias amitteret; in ipſâ Hiſpaniâ tutus non eſſet, ob Batavorum potẽtiam. Illi jam, licèt Regis exercitum ſibi imminentem habeant, tamen Hiſpaniam inimicis claſſibus ſæpiùs infeſtant: quid ſi liberam & ſecuram illarum Provinciarum poſſeſſionem obtinerent? Nam, ut credas, pacem, quæ cũ iis iniri poſſet, ſtabilem fore: Faciliùs te aſinum, cùm ſic incipias delirare, futurum crederes. Reges, Principes, Reſpublicæ, & reliqui hoſtes, Hiſpanicam Monarchiam verẽtur, & capitali odio proſequuntur: Batavi ſanè odium non deponẽt, quamdiu hæretici erunt, quia Religionis odium non deponẽt: deinde præteritorum beneficiorum à Gallo & cæteris præſti-

 torum

torum oblivisci non poterunt, si auxilia ab ipsis adversùs Hispanos & Austriacos petantur, aut ipsi bellum gerendum sollicitentur. Numquid tunc Belgicis Provinciis Catholicis timendum erit? Numquid eorum Classes, si Anglicis, reliquisque, quas sibi adjunget, Hispania, & India formidabit. Rectè omnium prudentium virorũ judicio Rex faceret, si omnium suorum Regnorum vires colligeret, si totâ vi atque potentiâ has insulas navali terrestriq; bello simul oppugnaret. O utinam! Tunc brevi horum bellorum finem læti videremus.

Littera H. Pvteani.

Vires, quæ supersunt, tempestivè fovendæ sunt, ne penitùs deficiant: fovendæ pace; bello enim imminutæ. In extremis consilia etiam necessitate honesta fiunt; ac sinuanda vela, cùm tempestas jubet. Omnia maris mala naufragio minora sunt: & gubernator, *ut aureis Curtii verbis utar*, ubi naufragium timet, jacturâ quicquid servari potest, redimit. *Igitur non quid speciosum dictu, sed utile factu, æstimandum est. Hannibalis apud Livium verba audiamus:* Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria. Illa in tuâ; hæc in Deorum manu est. *Vt reliquus sine impedimento regatur Orbis, quies uni alterive detur Provinciæ. Qui omnia quasi possidet, sine exiguo, est dives. Et quantillum mundi angulum Fœderati tenent? PHILIPPVS sine Bataviâ PHILIPPVS est, id est, Maximus;*

Imperium Oceano, famam qui terminat astris.

Responsio Politico-Catholici ad Litteram H. Puteani.

Pvteanvs.

Vires quæ supersunt tempestivè fovendæ sunt, ne penitùs deficiant: fovendæ pace; bello enim imminutæ.

Politico-Catholicvs.

Quomodò imminutæ tantùm, & non exhaustæ; quandoquidem exhaustum esse ærarium, militiamque nostram penitùs corruptam priùs dixeris? Sed sæpiùs in teipsum pugnas. Supersunt, supersunt vires: quæ nequaquam fovendæ sunt

unt pace, sed bello. Donec bello pepperimus victoriam, pugnemus semper. Infestos Punicorum animos ter resurgentes nequaquam timuit Roma: & vicit, cecidítque tamen Carthago æmula Romani Imperii. Et quomodò pax vires fovebit: si pace omnis disciplina militaris & cautio pereat; lenta segnities, & periculosa securitas oriatur? Quomodò vires fovebunt Induciæ: cùm Inducias facere non sit aliud, quàm dare hosti spatium ad colligendas vires, quibus fortiùs feriat? Fortissimos populos, postquàm à bello se ad otium contulerunt, facilè ab hostibus fractos fuisse legimus: quia animi Martii refrixerant, bellandi usus evanuerat. Sic Veientes perierunt: nam cum iis Romulus Inducias centum annorum pactus fuerat, deinde Senatus in quadraginta annos propagavit. Post illam longam quietem insueti bello, cùm arma ignota resumpsissent, brevi in Romanorum potestatem venerunt.

PVTEANVS.

In extremis consilia etiam necessitate honesta fiunt.

POLITICO-CATHOLICVS.

Quis hoc ferat? indignor. Regem in extremis esse? Solus ille est, qui extrema & terminos Regiæ magnitudinis nescit. PLVS VLTRA prorumpet semper, quò jus & æquitas, Deo auspice, vocabunt. Eum in extremis & necessitate constitutum, quem tot opulenta Regna suum Monarcham Potentissimum esse gloriantur? Quando reliqui Reges necessitate laborabunt; vix adhuc mihi persuasero Regem Hispaniæ eâ laboraturum. Ille est, cui in epist. dedicator. Polit. Christ. dicit Scribanius: *Tu mundum universum auro densè perpluis & gemmis. Nam quod illis propè fatigetur Orbis, ab Oriente & Occidente tuo est. Supra fortunatas Insulas, quæ in perpetuo flore, vere, fructu sunt, fœcundus. Ac licèt* (notanda sunt hæc verba) *aliis Regibus non nisi tanquam æstatis unius messis una; autumni unius vindemia una; hiemis unius olivitas una sit; in te perpetua hæc reperiuntur; unoq; verbo: Fœcunditas æterna est, priorq; viam semper sequenti*

 sternit,

sternit, fœneraria auri argentiq; redhibitione. Et ecce Classem ex Indiis feliciter appulsam, octodecim auri millionibus, & pretiosis mercibus onustam certò scimus. Quinimò asserunt litteræ mercatoriæ, etiam Orientalem Classem valde opulentam in Hispaniam advenisse. Quomodò igitur Rex in extremis, quomodò in necessitate: cui auri argentique æterna fœcunditas? Hæc necessitate honesta tua consilia non Potẽtissimo & Maximo Hispaniæ Regi, sed aliis Regibus sunt reservanda.

PVTEANVS.

Sinuanda vela cùm tempestas jubet. Omnia maris mala naufragio minora sunt: & gubernator, *ut aureis Curtii verbis utar,* ubi naufragium timet, jacturâ quicquid servari potest, redimit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nondum ea tempestas est, ut Regi lubeat vela sinuare. Si Regis carbasa secũdo flatu non impleat fortuna: ut prudens Navarchus omnem artem, sic omnes vires suas advocabit, ipsamque fortunam Dei Numine provocabit. Sicut Cæsar, furente tempestate, Nautæ dixit: *Ne time, Cæsarem vehis.* Ita Regem Hispaniæ tempestas quatere potest, non mergere: quamdiu Deum Ducẽ pius sequetur, ut hactenus. Necdum igitur naufragium timet; ideòque nondum juravit pretiosas illas merces, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Limburgum, & reliquas ditiones abjicere, tantamque jacturam libenter ferre. Neptuni furores imitentur Batavi, & agros Antuerpiæ vicinos, fractis aggeribus, inauditâ crudelitate inundẽt. Major Neptunus est Rex Hispaniæ, qui Zelandiam, & Hollandiam in fluctibus sepelire posset, si vellet. Suaserunt plurimi, ut Rebelles aquis suis faceret innatare; omnes eorum agros, animalia, perfossis aggeribus immergeret, eisque omnem internam, & domi natam potentiam eriperet. Nam parvo pretio, plusquàm duas tertias Hollandiæ ac Zelandiæ partes aquis se inundaturos non pauci locorum & adituum peritissimi promiserunt. Naufragium Rex immittere noluit, maluitque magnos sumptus facere, quàm hoc vincendi

modo

modo, non satis honesto, victoriam celeriter parare. O Regem, & benignum, & gloriâ immortali dignum! Nôn ad triduum expectarent Hollandi, si pari facilitate Hispaniam, Brabantiam, & Flandriam possent aquis obruere.

PVTEANVS.

Igitur non quid speciosum dictu, sed utile factu æstimandum est.

POLITICO-CATHOLICVS.

An hæc nostra fortasse speciosa dictu, & ab Hispanici pectoris fastu nata? Vtilia factu sunt, quia tuis perniciosissimis consiliis pugnant. A pio & fideli pectore profecta sunt: non in suspectâ & delirantis senectutis officinâ fortasse venalia.

PVTEANVS.

Hannibalis apud Livium verba audiamus: Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria. Illa in tuâ, hæc in Deorum manu est.

POLITICO-CATHOLICVS.

Non illa melior, quæ cum nostræ Religionis injuriâ, perpetuo Regiæ Majestatis dedecore, & Coronæ Hispanicæ damno, supra quàm dici potest, maximo. Si autem victoria in Dei manu est: meliùs tutiùsque victoriam Catholici sperare possunt, quàm hæretici: docent nos bella Germanica penes Ferdinandum, benignâ Dei faventiâ, stetisse victoriam, & mansuram speramus. Quid? ut semper se sperent bellaturos, semper victuros? Ne vehementer errant. Deum vindicem specta. Credísne illa pessimorum Fidei Regisque desertorum receptacula numquam pœnas & ruinam expertura? Quidquid ubique in his Provinciis erat crudelissimorum hominum, tota fæx hæreticorũ, tota colluvies Iconoclastarum & Theomachorum in Bataviam tanquam in asylum se recepit. Nisi piâ & justâ severitate malis obviam itum fuisset, nisi Præpotentis Dei benignitas improborum hominum conatus retardasset, jam vicinum videbatur in Belgio Catholicæ Religionis excidium. Repetant Belgæ memoriâ, quę vix quindecim dierum spatio, in Augusto, anno 1566. ab im-

piis adversùs Deum, Sanctos, Fidemque Orthodoxam sunt peracta. Antuerpiæ 15. Augusti, in festo Assumptionis, in templo Beatæ Mariæ longè pulcherrimo, Turcicam exercuêre iconomachiam, disjectis & comminutis statuis, aris, imaginibus omnibus, ipsâ etiam ædiculâ SS. Eucharistię, inæstimabilis pretii. In virorum virginumque Monasteria & cætera templa, pari crudelitate sævitum est. 22. Augusti Sylvæducis templum Divi Ioannis ornatissimum vastarunt; in alias ejus oppidi sacras ædes & Monasteria, præsertim Franciscanorum, Dominicanorum, & Carthusianorum sunt debacchati. 23. Augusti, Gandavi simile bellum indictum est imaginibus, & statuis, Venerabili Eucharistiæ, & Sanctorum Reliquiis; grassati sunt in Abbatiam Blandiniensem, eamque diripuerunt. Eodem die Mechliniæ quoque tumultuatum est, & jam in Franciscanorum & Carmelitarum templis imagines frangebantur: à civibus expulsi, Monasterium Hanswicense extra oppidum, & alia circumadjacentia templa depopulati sunt. Quod idem apud Valencenas & Tornacum eodem die accidit. 24. ipso die S. Bartholomæi, Aldenardæ, & in pagis vicinis insanierũt, Cœnobium Magdendalense piissimarum virginum, omninò deformarunt. 25 apud Mosæ-Trajectum in quatuor Parochiarum templa Dominicanorumque & Franciscanorum Monasteria irruperunt. Flagitia in Hollandiâ à defectionis tempore perpetrata, supplicia de Religiosis & Catholicis Gorcomii & alibi sumpta prætereo. Nihil sacrum in totâ Bataviâ, nihil avitæ Religionis, vigent cathedræ pestilentiæ, peccandi libertas, modò nihil adversùs Rempublicam agitetur. Quid tandem sperandum, nisi Bataviam, quæ istos Belgicæ pietatis vastatores excepit & fovit, debitas aliquando pœnas, Deo vindice, luituram: nosque victoriam ejus nutu ac favore consecuturos.

PVTEANVS.

Vt reliquis sine impedimento regatur Orbis, quies uni alterive detur Provincia.

Po-

POLITICO-CATHOLICUS.

Imò nulla detur Hollandis quies, ut reliquus sine impedimento regatur Orbis. Hi soli totum turbarunt Orbem. Orientalis Indiæ Insulas & arces, Brasilios, Americanos, Perüanos, Mexicanos infestarunt. Rupellanos & Montabanenses hæreticos in Galliâ, adversùs Regêm suum insurgentes, juverunt. Anglorum Regi in suâ adversùs Hispanos expeditione naves subministrarũt; Daniæ Regi subsidia miserũt; Brandeburgicum Marchionem pro Iuliacensi, Cliviæ, & Montium Domino armis propugnarunt; Comitem Palatinum ad Bohemicam & Cæsaream Coronam rapiendam suis consiliis inflammarunt; Venetorum Reipublicæ adversùs Pontificem Paulum V. ac deinde Ferdinandum modò Imperatorem auxilio fuerunt; Sabaudiæ etiam Duci adversùs varios Hispanorum exercitus, quibus S. Germani Marchio, & Feriæ Dux præerant: Moscoviæ Duci & etiam Sueciæ Regi adversùs Polonos decertantibus opem præbuerunt. Nónne toti Orbi quietem adimunt? Si pace fruerentur, statim Protestantium copiis adversùs Cæsarem suas omnes vires conjungerent. Igitur ut reliquus sine impedimento regatur Orbis, nulla quies uni alterive detur Provinciæ.

PUTEANUS.

Qui omnia quasi possidet, sine exiguo dives est. Et quantillum mundi angulum Fœderati tenent? PHILIPPUS, sine Bataviâ PHILIPPUS est, id est, Maximus;

Imperium Oceano, famam qui terminat astris.

POLITICO-CATHOLICUS.

Gustavus dives erat Regno Gothico, & Germaniæ Imperium sine jure ambivit; omnes tamen falsi Politici laudabant. Rex exiguum petit, quod natura & sancta jura repetendũ jubent; & ecce fremunt omnes. Ludovicus XI. Galliæ Rex sine Burgundiæ Ducatu dives erat; & tamen Caroli Audacis filiæ abstulit, & nullus hanc iniquam ejus invasionem reprehẽdit. Rex noster à Rebellibus suos Comitatus & Ducatus repetit; & ecce in eũ sæviunt calami. Rupella, urbs exigua

gua erat: non tamen quiescere Rex Franciæ potuit, donec eam occuparet, & rectè. Rex Angliæ sine Hiberniâ dives esset: & tamen forti manu eam tenet. Sine Bayâ de los Sanctos in Brasiliâ etiam Status Hollandiæ se arroganter PRÆPOTENTES jactabant: & tamen per nefas Regi (licèt inde expulsi sint) eripuerunt. Cur etiam Rex hunc mundi angulum, vel potiùs in illo mundi angulo, tres quatuórve Provincias jure belli non repetat? Reges alii pro unâ Provinciâ, pro unâ tantùm urbe, bellis crudelibus Orbem miscent, & sæpè sine ullo jure: cur has Provincias Rex armis recuperare non tentet? Sine Hollandiâ, licèt sit exigua, divitiarum maximam partem amitteret: præsertim si, ut suades, liberam navigationem in Indias illis permitteret. Denique Philippus sine Bataviâ desineret esse Maximus: quia semper Maximo Hispaniarum Rege se maiores gloriarentur; quem necessitate, ut ais, victum, ad iniquas, vel qualescumque conditiones pacis accipiendas, adegissent.

Littera I. PVTEANI.

Hujus illi ut potentiam venerentur, quamvis, victoriæ propiores, transigere parati sunt. Princeps Auriacus ipse, quem fortissimum prudentissimumq; militiæ Ducem habent, quâ magnitudine animi, eâ moderatione, etiam belli gloriam Pacis conditionibus submittit. Quid obstaculi igitur? Iræ in lenitatem vertendæ sunt, ut virtuti & famæ Regiæ liberum spatium detur: ignoscendum paucis, ut multis parcatur. Nos illi multi sumus, qui subditi; & ad ruinam primi, si novum Martis onus rebus multùm jam depressis incumbat. Pauci, hostes; à culpâ jam longinquiores, quamvis hostes, & majori impetu agant. Nam auctores belli vel bello extincti sunt, vel suo vivere fato desierunt: reliqui, tanquam in armis & libertate nati, caussam ad se derivatam bello tutati sunt; sed ne caderent, omnium ferè Principum & Rerumpublicarum viribus pugnârunt hactenus, & adhuc pugnant. Dixerim, ampliùs in Regem nostrum, qui dederunt auxilia, quàm qui acceperunt, peccasse; qui instigarunt, quàm qui irruerunt: quippe

quippe unde vires, victoria venit: sed qui fortes fuêre, viribus usi sunt. Quid igitur? Rectiùs

——— ——— Quæritur belli exitus
Quàm caussa.

Non jam quomodò hostes facti, ponderandum est; sed quomodò amici possint fieri, & in auxilium societatemq; assumi. Hoc satis: ad Inducias, vel si non suspendere modò bellum; sed extinguere placeat, ad ipsam Pacem accedunt; firmiori fide se juncturi Regi, quàm robore obstiterunt. An invicti sint, fortuna disputet; sed agnoscunt se vinci posse, quia dexteras etiam armatas concordiæ porrigunt: Rex autem Majestatem suam magis benignâ Pace, quàm cruento bello vindicabit. Pyrrhus, ille Epirotarum Rex, generosius hic fuit, qui Ennii ore regalem sanè, & dignam Æacidarum genere sententiam protulit:

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est.
Dono ducite, doq; volentibus cum magnis Dîs.

Tantum uni concessum populo, quem fortem ac timendum, rebus etiam adversis, virtus militaris fecerat. Concessum à Pyrrho, bellatorum maximo, & Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ viribus, Campaniæ, Apuliæ, Lucaniæ subsidiis pugnante. Illius quoque invictos Romanorum animos mirati, Floro referente, vox fuit: O quàm facile erat, Orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis! *Sed profectò toto quamvis Marte subnixus, & novus Alexander habitus, imò Aquila nominatus; non potuit tamen, quia Pace caruit, Magnus esse: victus & fugatus ab iis, quos vicerat, excedere Italiâ cum reliquiis copiarum coactus est.*

Responsio Politico-Catholici ad Litteram I. Puteani.

Puteanus.

Hujus illi ut potentiam venerentur, quamvis victoriæ propiores, transigere parati sunt. Princeps Auriacus ipse, quem fortissimum prudentissimumq; militiæ Ducem habent, quâ magnitudine animi, eâ moderatione, etiam belli gloriam Pacis conditionibus submittit.

H Poli-

Qui verè & ex affectu Regem amat, Regis hostem juratissimum parcè laudare debet, ne eum amare videatur. Quis vel Oratorum, vel Historicorum apud Batavos (nam plurimos eorum novisti, & legisti) Albertum Ducem nostrum, in quo erat omnium virtutum consummatio, ita laudavit; ut tu modò Auriacum? Nemo illorum mentionem Principis nostri fecit cum honoris titulo: sufficit illis sine titulo Albertum nominare. Sanè has laudes ab amore, quo in Auriacum ferris, natas existimo: ideòq; vanas, & fide indignas judico. Scimus *in suspicionem gratiæ venire amantium judicia. Nam ubi certa est amicitia, ibi fides laudis incertior*, ait Symmachus lib. 1. epist. 52. Quid? ut eum fortissimum prudentissimumque prædices? Ego nec fortem, nec prudentem judico. Absit, vel odii, vel invidiæ suspicio. Memini me legere Aristidem orat. de concordiâ tom. 2. dicentem: *Ne hostes quidem, si quid rectè egerint, eâ* (laude) *privandos esse, Deorum quidam apud Pindarum, ni fallor, Herculem monet. Adeò suâ naturâ divina quædam res est benedictum.* Hostes suâ laude privare nolo: non tamen in Auriaco veram fortitudinem & prudentiam reperio. Sicut Augustinus nullas in Gentibus veras virtutes agnoscit; ita nec ego in hæreticis, qui extra Ecclesiam Catholicam. In hâc solâ vera fortitudo ac prudentia est. Hæc enim sola lumine fidei Deum cognoscit, ad quem tanquam ad ultimum finem & summum bonum vera fortitudo, & omnis virtus dirigi debet. Quippe virtus, quæ pro suo objectum summum bonum non habet, veræ virtutis rationem non obtinet; & ideò æternâ felicitate (quam sperare non debent hæretici) præmio veræ fortitudinis & prudentiæ privatur. Quænam in Auriaco fortitudo? Non propria fortitudo, sed nostrorum proditio aut incuria hactenus illum victorem fecit. Si Comes Bergius Geldriam, Wachtendoncam, & alia loca diligenter conservare studuisset, neque inde sine Regis authoritate discessisset; non tã magnos progressus fecisset hostis; nõ Venlonam, non Rurẹmundam, non Trajectum amisissemus.

Si,

Si,cùm exercitui noſtro præerat, Sylvamducis ab hoſtibus obſeſſam liberare conatus fuiſſet: non eam nobis ereptam doleremus. Weſalia intercepta eſt? ejuſdem Comitis, qui 29. cohortes inde extraxerat, nullumque equitem ibi reliquerat,culpa eſt. Denique ejus perfidia fecit, ut nullum in Velaviâ ſucceſſum haberemus,ut ſciunt omnes. Fortalitium S. Crucis dedit unus etiam proditor. Sed fortem eum in Trajectenſi obſidione dices, utpote qui Papenhemio fortiter reſtiterit. Crepundia. Iam tempus habuerat, ut urbem undiq; munitionibus circumvallaret. Marchio Sanctæ Crucis (quē plurimi perperam vituperarunt) vix ſe movere audebat, cùm ſe hoſtem ita munitum è ſuis Caſtris pellere non poſſe à ſuis Conſiliariis perciperet; præterea Gallos in Picardiâ, uſque ad 25. hominum millia Belgio imminere ob conjurationē Bouchinienſem audiret. Ne hæc tam facilè præteriiſſe videar, quaſi ignarus; in Picardiâ Comes Sueſſionenſis regebat exercitum; & Dominus de Haulterive, Batavicarum copiarum ductor, ideò in Franciam vocatus erat, & à Rege S. Quintini Gubernator conſtitutus, ut ſub nomine Batavico (ô ſincera Gallorum pax & amicitia!) bellum Hiſpaniæ Regi moveret. Non,inquam,alio fine: nam poſteà,ubi nulla ſpes rei gerendæ apparuit, ſtatim in Hollandiam rediit. Accedebat pactū inter Auriacum & Bergium, ut ſi noſter exercitus, vel ad Trajectenſem obſidionem ſolvendam, vel Ruræmundam & Venlonam verſùs tranſiiſſet; ipſe Bergius cum exercitu,quem paratum habebat,aut ſubitò comparaſſet,ad Bruxellam occupandā maturaret. Aſſerūt hoc teſtes oculati, qui viderunt ſalvos conductus & litteras Bruxellam miſſas, quibus Bergius amicos ſuos monebat,ſe cum copiis brevi adfuturum,iiſq; ſecuritatē promittebat. Quid inter hæc egiſſet Marchio? Hærebat dubius,maluitq; exercitum ſalvū conſervare, quàm deleto fortaſſis exercitu noſtro,Hollādis, Gallis, & proditoribus liberū in Patriam aditū dare. Vicit ergo Trajectū Auriacus: ſed ita ut urbis propugnator acerrimus Marchio Ledēſis & civiū turba,majorē fortitudinis gloriā,quàm

Auriacus, ſibi compararit. Limburgum cepit: ſi Romanam civitatem cepiſſe dicendi ſunt Senones, qui portas patentes neminemque reſiſtentem repererunt. Et quod unquam mirabile ſtratagema, quæ fortis pugna audita eſt? Niſi fortè ejus crudele incendium commemores, quo Brabantiam, nemine reſiſtente, depopulatus fuit. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla retulit, cùm Brugas venit. Militum tantam multitudinem ducebat, ut decem hoſtes ſinguli noſtrorum militum fuiſſent habituri, ſi pugnare fuiſſet auſus: & tamen fugit æternâ cum ſui nominis & Batavicę gentis infamiâ. Adeò ut hoc Chronicon duplex, ejus imbellem fugam deriſerit.

I.

*henr*ICV*s naſſo*VIVS *ten*DI*t br*V*gas pr*IM*â* IV*n*I.

I I.

*ſe*CV*n*D*â* DI*e* V*en*I*t, tert*I*â* VIDI*t, q*V*artâ f*V*g*I*t.*

Denique vera prudentia, donum Dei eſt: ergóne in Auriaco vera prudentia, qui bella injuſtè adverſùs Regem gerit, qui vitia & hæreſes fovet, qui Rebelles defendit, qui noxiam libertatem vult aſſerere; qui pacta contra naturæ legem non tuetur in urbibus, in quibus liberum Religionis noſtræ exercitium permittendum confirmavit? Sapientia hujus mundi ſtultitia apud Deum eſt. Piè loqueris, mihi objiciet aliquis: ideò Politico-Atheus non ſum, ſed Politico-Catholicus. De his ſatis: ad rem venio. Si ille Auriacus, quem tu prudentiſſimum facis, belli gloriam Pacis conditionibus ſubmittit; ſi Hollandi, quamvis victoriæ propiores tranſigere parati ſint: ſuſpectas meritò habere debemus Inducias & Pacem; quandoquidem illi non amore Regis, ſed ſuâ utilitate ducantur.

PVTEANVS.

Quid obſtaculi igitur? Ea in lenitatem vertenda ſunt, ut virtuti & famæ Regiæ liberum ſpatium detur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Numquid multa ſatis obſtacula? Neque Rex iram in lenitatem vertere poteſt; niſi hoſtibus ſe planè imparem cum

ſuo

suo dedecore fateri velit. Imò hæreses & scelera videretur probare, non sine gravi culpâ: si hæc vitia castigare non pergeret, si in illa piam justamque iram non conciperet. Rex velut Paterfamilias esse debet. Quis Paterfamilias filio rebelli aut furi non succenseat? An eum ut amicum amabit, ei securam pacem concedet: si domum placidus redire nolit; aut ablata, si magni momenti sunt, reddere renuat? Hæc indulgentia secum traheret culpam, si condignâ animadversione filium ad saniorem mentem revocare non studeret. Lactantius eos reprehendit, qui de commissis sceleribus vindictam non capiunt. Sic loquitur lib. de irâ Dei, cap. 18. *Nos certè, cùm domi peccatur, sive id cernimus, sive sentimus, indignari necesse est. Nam qui non movetur omninò: aut probat delicta, quod est turpius & injustius; aut molestiam fugit, quam sedatus animus & quieta mens aspernatur ac renuit, nisi ira stimulaverit & incitaverit. Qui autem commovetur intempestivâ lenitate, vel sæpiùs quàm necesse est, vel etiam semper ignoscit; is planè & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & sibi ipsi æternam molestiarum materiam subministrat.* Nec prætermittam Bernardum, qui epist. 69. sic ait: *Non irasci ubi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est.* Grave crimen Rex admitteret, si in suâ ditione securos & liberos esse sineret, Ecclesiæ Catholicæ sibique Regi Catholico perduelles, Ecclesiæ sibique insolentissimè insultantes atque extrema omnia molientes. Ecclesiam ubique infestant, domi, foris, terrâ, mari, bello, pace, armis, scriptis, & inter capitalissimos Ecclesiæ Catholicæ persecutores non sunt postremo loco numerandi; nam nullius Tyranni aut Imperatoris persecutio tamdiu, nempe per 60. annos, duravit. Præterea non sufficit illis suam impietatem mordicus tueri, & Religionem intra Provincias fœderatas opprimere, nisi etiam in extremis Orbis Terræ partibus, inter infideles prædicationem Evangelii interturbent; ut taceam in diversis Indiarum partibus, & præsertim in Iaponiâ eorum flabello excitata atrocissimarum persecutionum incendia, & relicta non semel inauditæ

crudelitatis insignia. Et Rex hanc improborum colluviem in suis hæreditariis Provinciis vivens vidensque grassari permitteret? Non pauci anni sunt, cùm una cohors Henrici Nassovii nunc Principis Auriaci, juxta Mechliniam in quoddam Catholicorum templum incidit; quæ templũ ingressa, sacrum Tabernaculum perfregit, Pyxidem sive Ciborium aperuit, sacrosanctas hostias sacrilegis manibus contrectavit, ac per summum derisum (quis non horreat referendo?) alias sputo madefactas valvis domorum; alias equorum sellis, ephippiis, habenis affixit; alias projecit inter cachinnos & hæreticorum petulantiam. Et Rex iram in lenitatem vertat? iram facilè deponat? neque ex Hollandiâ tam flagitiosos Eucharistiæ contemptores expellat? A Rudolphi Cæsaris, Philippi II. Alberti Principis nostri Pientissimi erga illam pietate, Rex degenerare non debet: ideòq; necesse est, injurias huic Augustissimo Sacramento illatas ulciscatur. Quod fiet, si omnibus improbis in Hollandiâ publicam potestatem eripiat, & nostræ Religionis serenitatem reducat. Et ut ad omnia respondeamus, non est opus famæ Regiæ liberũ spatium dari. Nam Rex Catholicus in hôc etiam differt ab aliis Regibus, quòd suo sumptu in hâc aut illâ Provinciâ semper bellum alere possit. Vidimus uno anno sub signis Regiis exercitus quinque, in Italiâ, Germaniâ, Bohemiâ, Hungariâ, Belgio. Et jam unum exercitum alere non posset, donec victoriam pararit?

PVTEANVS.

Ignoscendum paucis, ut multis parcatur. Nos illi multi sumus, qui subditi; & ad ruinam primi, si novum Martis onus rebus jam multùm depressis incumbat. Pauci, hostes.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nequaquam nos Regem offendimus, nec ejus iram experimur: cur nos, nempe illi multi, nobis ignosci peteremus? Præterea, quoad belli incommoda à Rege nobis ignosci non postulabimus: si verè fideles & generosi simus, si Ecclesiæ ac Regis nostri utilitatem, perinde ac nostram æstimemus. Majores nostri toto ferè ætatis suæ tempore incensâ &

vastatâ

vaſtatâ Flandriâ, Brabantiâ corruptâ, fortunis everſis, agris cruore non cultu pinguibus, ferre potuerunt: nos integrâ Flandriâ, & pænè totâ Brabantiâ, non eſt quod ex aquilis nati jam imbelles columbæ videamur, fortunæ noſtræ calamitatem Regiæ fortunæ & dignitati præferentes. Ruinam, quam inſtare fingis, avertet Deus. Speremus *in Deo, & ipſe faciet, & educet quaſi lumen juſtitiam Regis.* Rex igitur non parcat Hollandis, ut nobis videatur ignoſcere.

PVTEANVS.

A culpâ jam longinquiores, quamvis hoſtes, & majori impetu agant. Nam auctores belli, vel bello extincti ſunt, vel ſuo vivere fato deſierunt: reliqui, tanquam in armis & libertate nati, cauſſam ad ſe derivatam bello tutati ſunt.

POLITICO-CATHOLICVS.

Gaudeant Hollandi, quia perire non poſſunt, qui tam fortem ac diſertum Patronum & Advocatum repererunt. Ita enim, Puteane, cauſam Batavorum agis: quaſi ſi eorum patrocinium ſuſcepiſſes? Vno verbo his ſatisfaciam. Bona à mortuis parentibus legata, quæ vel aliena, vel fœnerando malè parta eſſe cognoſcunt, ſervare ac tueri non poſſunt filii: ſed illos reſtitutionis lex obligat. Ita clamat natura, ſimulque jura omnia. Sciunt Batavi, qui jam vivunt, hæreditatem eſſe Philippi Regis Hiſpaniæ, à majoribus ſuis injuſtè occupatam: quin reſtituunt? Legitimum Principem habebamus & Clementiſſimum: quin reddiderunt? Velamen non habent, niſi libertatis nomen: cùm tamen jam introductam tyrannidem apud ſe videant.

PVTEANVS.

Ne caderent, omnium ferè Principum & Rerumpublicarum viribus pugnârunt hactenus, & adhuc pugnant. Dixerim, ampliùs in Regem noſtrum, qui dederunt auxilia, quàm qui acceperunt, peccaſſe; qui inſtigarunt, quàm qui irruerunt: quippe unde vires, victoria venit: ſed qui fortes fuêre, viribus uſi ſunt.

POLITICO-CATHOLICVS.

Multitudo juvantium, criminis gravitatem non minuit.

Pecca-

Peccarunt Franci, Veneti, & alii: non minùs peccarunt Batavi (quos malè fortes vocas) qui usi fuerunt. Si cui vitam eripuissem, egóne liber, quia alii mihi gladium subministrassent? Alienum possideo, alii consulunt ut non restituam: simul cum illis pecco, cum illis pœnas mereor, nulla jura remissionem mihi ideò dandam esse pronuntiant.

PVTEANVS.

Quid igitur? Rectiùs

—— —— Quæritur belli exitus
Quàm caussa.

POLITICO-CATHOLICVS.

Hæc verba sunt injustissimi Lyci apud Senecam in Hercule furente act. 2. Eadem verba usurpare non potest, nisi qui injustissimus videri cupit. Quis tam emotæ mentis, tam parum amans æquitatis, qui causam belli non quærat? Causam belli justissimam Rex habet, ut sæpè diximus; speremus aliquando belli exitum adfuturum. Ita nos monet Lucanus lib. 7.

Causa jubet melior Superos sperare secundos.

Speremus igitur Deum nobis adfuturum; Batavi justa negantes, semel nobis dare cogentur omnia, cùm Deus volet. Dicamus cum eodem Lucano lib. 1.

Viribus utendum est, quas fecimus: arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat, nec Numina desunt.

PVTEANVS.

Non jam quomodò hostes facti, ponderandum est; sed quomodò amici possint fieri, & in auxilium societatemq; assumi.

POLITICO-CATHOLICVS.

Quamdiu hæretici sunt, nec reddunt Regi, quæ sunt Regis, semper hostes sunt. Hæreticos autem numquam amicos habebit Rex, nec in auxilium societatemque assumet. Vis ut Reges Franciæ imitetur? ut cum hæreticis fœdera ineat? Rex Iosaphat cum Achabo Rege Israël impiissimo societatem inierat. Hunc redeuntem ex bello, quod contra Syrios gesserat, sic Iehu Propheta fuit allocutus: *His qui oderunt*

Domi-

Dominum, amicitiâ jungeris; ideò iram Domini merebaris. Paralip. 2.cap.29. Hanc iram Dei contempsisse videntur Galliæ Reges, qui cum immanissimo Christianorum tyranno, Turcâ scilicet, fœdus fœdissimum fecerunt, & etiamnum servant. Posteris pessimum exemplum dedit Franciscus I. qui adversùs Carolum V. Imperatorem Solymannum concitavit, à quo Barbarussa cum classe missus; qui Hetruriæ orâ vastatâ, & H[illegible]iis infestatis, Ænariâ & Liparâ afflictis, Constanti[illegible]um rediit, Christianorum spoliis onustus. Carolus IX. [illegible]dus non sine dedecore à Francisco I. ictum, cum Solymanno, qui Melitam magno navali paratu obsederat, renovavit. Quod Caroli IX. fœdus plurimùm Pius V. Pontifex, divinæ sapientiæ & miraculorum gloriâ insignis, improbavit, & *Franciæ labem* appellavit, ut refert Franciscus Longus Cariolanus in Breviar. Chronolog. anno Christi 1571. Vnde plurimi notarunt Reges Galliæ à Francisco Primo, qui primus cum Turcis se turpissimo fœdere obstrinxit, usque ad Henricum IV. infelices exitus habuisse, occulto Divinę Providentiæ calculo potiùs, quàm humani consilii ratione expendendos, ut ait Maximilianus Vrientius, qui in fata posteriorum Galliæ Regum sic lusit.

Adspicite ô Belgæ Gallorum funera Regum,
Lævaq; Valesiæ pendite fata Domus.

† I. *Ille potens sceptri † FRANCISCVS, fœderis auctor*
Cum Mahumetigenis vincula captus adit.
Agmine liligero Ticini ad flumina fuso,
Obside vix gemino liber & ære gravi.

† II. *Filius † HENRICVS magno certamine victus,*
Acciso regni flore opibusq; virûm;
Dum pacem & tædas celebrat; simulacraq; belli
Ludit eques, tragicâ morte cruentat humum.

† II. *Aurę malè infectâ, viridi † FRANCISCVS in ævo,*
Nil nisi flos regni Solstitialis obit.

† IX. *CAROLVS à tristi lanienâ & strage suorum*
Invidiæ & lethi nigra venena bibit.

† III. *HENRICUS Scythico procul accersitus ab axe*
Post Guisias cædes cæsus & ipse perit.

† Franciscus Andium Dux. † *Frater ALENCONIUS Belgis ejectus, inanem*
Spem Regni, & vitium clausit in Arce brevi.
Ultima stirps gentis Regi despecta marito
MARGARIS in sterili sola relicta gemit.
Hæc tantæ fortuna domus, hunc Gallica fructum
Lilia Turcarum fœdere nixa metunt.

† Henricus IV. *Successor Regni † BORBONIUS, impiger heros,*
Cui tulerunt nullum sæcula multa parem;
Christinegâ cum gente pari devinctus habenâ,
Morte pari Paridis cæsus in urbe cadit.
Talibus exemplis qui sceptra tenetis in Orbe,
Discite supremi sceptra timere Dei.
Omne sub regno graviore regnum.

Quinimò ab anno 1579. Genevæ patrocinium susceperunt, licèt jam pridem Christianissimi appellationem obtinuerint. Rex Christianissimus etiam hodiè Genevam, Academiam impietatis, Cathedram pestilentiæ, Calvini propugnaculum, omnis nequitiæ officinam, Universitatē iniquitatis, in suam clientelam admittit. Quid Gallorum fœdus cum Hollandis, Protestantibus, Suedis contractum referam? Nullus enim ab hoc Ludovico XIII. ictum fœdus cum Gustavo Suecorum Rege infensissimo Catholici nominis hoste ignorat: cujus mortem tanquam piissimi hominis & bono publico nati deplorasse testatur hoc Chronographicon, quod annum mortis Gustavi sic describit:

gaLLo CongeMIsCente oCCVbVIt sVeCVs reX.

O pudor! Reges Galliæ Christianissimos, Rex Hispaniæ Catholicus hactenus imitari noluit. Indias habet, numquam hæreticorum auxilio usus est. Italiæ partem & tot Regna possidet? Bono jure & Dei auxilio possidet. In suo Regno, nec Iudæos, nec Mauros, sicut nec ullam prorsus hæreticorum Sectam, ut Rex Franciæ, pati potest. Non decet Regem verè [illegible]ium ab hæreticorum, sed Dei auxilio pendere. Quod Regi

Hispaniæ

Hispaniæ suades, olim fortiter dissuasit Fulco Rhemensis Archiepiscopus Carolo Simplici, qui de Northmannis nondum Christianis sibi fœderandis cogitabat. Eum igitur hic Præsul sic per litteras admonuit. *Quis, qui vobis, sicut oportet, fidelis est, non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam Christiani nominis pagana arma & fœdera detestanda suscipere? Nam si,* ut ait Apostolus, *bonos mores colloquia mala corrumpunt: quantò magis corrumpitur castitas animæ Christianæ, ex inimicorum consiliis & societate? Neque enim poterit non imitari, quod assiduè viderit, quin potiùs assuescet paulatim, & quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus.* Et infrà. *Vos Deum relinquitis: dicam certè licèt nolens, quia Deum relinquitis, cùm vos ejus hostibus sociatis.* Et iterùm infrà. *Melius fuerat vos non nasci, quàm diaboli patrocinio velle regnare, & illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, & talibus consiliis acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis; sed & quos, utcumque potuero, à vestrâ fidelitate revocabo; & cum omnibus Coëpiscopis meis, vos & omnes vestros excommunicans æterno anathemate, condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis servo, hæc gemebundus scribo: quoniam vos cupio secundùm Deum, & secundùm sæculum semper esse honoratum; & non Sathanæ, sed Dei adjutorio ad debitum vobis conscendere regni fastigium. Regnum enim, quod Deus dat, firmum habet fundamentum.* Vide Flodoardum lib. 4. cap. 5. O admirandam Fulconis constantiam ac libertatem! Et tu Regi suades, ut Hollandos Northmannis atrociores, Atheos, hostes Ecclesiæ Catholicæ, amicos sibi faciat in auxilium & societatem assumat? *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* ita Apostolus 2. Cor. 6.

PVTEANVS.

Ad Inducias, vel si non suspendere modò bellum; sed extinguere placeat, ad ipsam Pacem accedunt; firmiori fide se juncturi Regi, quàm robore obstiterunt. An invicti sint, fortuna disputet; sed agnoscunt

 se

ſe vinci poſſe, quia dexteras etiam armatas concordia porrigunt.

POLITICO-CATHOLICVS.

Suſpendi bellum nequit, niſi iniquis conditionibus nos ſubmittamus: nec bellum extingui, niſi Rex Bataviam ipſis liberè poſſidendam relinquat. Quæ duo non admitti modò, ſed nec cogitari poſſunt. Eos autem firmiori fide ſe juncturos Regi, quàm robore obſtiterunt, planè ridiculum eſt. Quomodò perduelles fidem firmam conſervabunt? Qui hactenus tot bella geſſerunt, ſolo Hiſpanici nominis odio, tot calamitatibus afflicti, tot vectigalibus oppreſſi, mercimoniis impeditis: jam liberi & domini, Regem Hiſpaniæ amabunt? Qui hæreſes adhuc in ſinu ſuo fovebunt: Catholicæ Religionis ſummum propugnatorem ſequentur? Qui Turcis, Gallis, Venetis, Suecis, Proteſtantibus, aliiſque ſuæ reformatæ religionis Athlantibus fidem addixerũt: iis adversùs Auſtriacos, qui adversùs tartareas hæreticorum cohortes coſtantiſſimè potentem fidei clypeum ſemper attollunt, auxilia petẽtibus denegabunt? Qui tot Provincias in ſuâ poteſtate continebunt: non de propagando ſuo imperio cogitabunt, & larvâ pacis depoſitâ, non ſe apertos hoſtes Regis profitebuntur? Pueris, pueris hæ nuces. Nec bellum ſuſpendamus, nec extinguamus: eos invictos non eſſe, oſtẽdet Deus & bona cauſa, non cæca illa fortuna, quæ nimis in Litteratorum ore verſatur. Quamquam quid ipſos invictos cogitamus: cùm ipſorũ viribus non ſit tribuendum, quod hactenus victi non ſint? *Agnoſcunt*, inquis, *ſe vinci poſſe, quia dexteras etiam armatas concordia porrigunt*. Et ipſos vinci poſſe, etiam nobis notum eſt: ideòque non niſi ad concordiam juſtis ſanctiſque conditionibus firmatam, veniemus.

PVTEANVS.

Rex autẽ Majeſtatem ſuam magis benignâ Pace, quàm cruento bello vindicabit. Pyrrhus, ille Epirotarum Rex, generoſus hìc fuit, qui Ennii ore regalem ſanè, & dignam AEacidarum genere ſententiam protulit:

Quorum

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est.
Dono ducite, doque volentibus cum magnis Dîs.

Tantum uni concessum populo, quem fortem ac timendum, rebus etiam adversis, virtus militaris fecerat. Concessum à Pyrrho, bellatorum maximo, & Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ viribus, Campaniæ, Apuliæ, Lucaniæ subsidiis pugnante. Illius quoque invictos Romanorum animos mirati, Floro referente, vox fuit: O quàm facile erat, Orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis! *Sed profectò toto quamvis Marte subnixus, & nouus Alexander habitus, imò Aquila nominatus, non potuit tamen, quia Pace caruit, Magnus esse: victus & fugatus ab iis, quos vicerat, excedere Italiâ cum reliquiis copiarum coactus est.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Plures fuêre & Reges & fortissimi Duces, qui adversùs Romanos pugnarunt: & victi sunt. Nimirum è Græciâ Imperium ad Romanos transferre statuerat Deus, ut Danielis oracula præsignificaverant: ideòq; has victorias ex Regibus fortissimis Romani (quorum morales virtutes Imperio compensare Deus volebat, ut ait Augustinus) reportarunt. Sed næ ludum facis: qui quasi Batavorum amore ebrius, eos Romanis comparas; Hispaniæ Regem (qui ex tuâ sententiâ est ubique potens, qui Orientis & Occidẽtis terminos circumductâ gloriâ tenet) Pyrrho confers, qui solius Epiri Rex erat: cui procul à Patriâ pugnanti, Rex Antigonus militum supplementum negabat: quem non solùm Romani, sed etiam Carthaginenses infestabant. Nondum Rex Hispaniæ, ut Pyrrhus, ad libertatem Batavis dandam, se coactum videt. Nondum

Horum perfidiæ Deus & bona causa pepercit.
Huic ideò libertati non parcere certum est.
Nec dat, nec donat, Magno nolente Tonante.

Non ut Pyrrhus, solâ ambitione & Imperii cupiditate pugnat: sed ad bellum justa causa promovit. Impiæ huic libertati non parcet, numquam dabit & donabit hæreticis quie-

tem, suamque hæreditatem, numquam cum iis pacem inveniet. Non vult enim hoc Magnus Deus, & recusat fervida pietas; quâ Catholicam Religionem Hispani & propagant, & defendunt. Denique Rex, ut Pyrrhus, non desiit, quia pace caruit, Magnus esse; nec eum Batavorum arma è Belgio cogent excedere.

Littera K. PVTEANI.

Huc redeo, & prorsus æquum censeo, universæ, quamvis dissectæ, habendam esse rationem Belgicæ; ne membri culpam reliquum cogatur corpus luere, & una Provincias omnes caussa immeritò obruat. Perverso una aut altera consilio, quasi furore, iram Regis & bellum provocavit? plures gratiam obsequio, pacem fide promeriti, integram ad se benevolentiam trahunt. Qui peccant & non peccant, homines sunt. Non quos possis perdere Rex Magne; sed quos servare debeas, expendes; & aliquos sines non tuos esse, ut plures habeas: Pacem non tuis daturus, salutem tuis, nullo quidem victoriæ præmio, magno gloriæ, quod luculentissimum ab utrisque auferes. Vincere paucos possis, qui multos regis: sed parcere si malueris omnibus, longè major eris. Bellorum egregii fines, *ut cum Tacito dicam,* quoties ignoscendo transigitur. *Tam tui, quàm non tui, tui sunt: alios imperio, alios titulo complecteris. Belgæ sunt, ut scias tuos esse: & Belgarum manes Princeps, bello an pace utaris, ubique potens, qui Orientis & Occidentis terminos circumductâ gloriâ tenes; alibi dominus, hîc pater; alibi sceptro, hîc affectu imperâs. Nimirum alia Belgarum, alia aliorum conditio est. Apud Belgas, ubi minus servitutis, plus obsequii est: alibi libertas ferociores reddit. Hinc etiam faciliùs duci ingenia Belgarum queunt, aliorum cogi, & sequuntur faciliùs, servile putant, cogi. Infelix sanè, & miserandum bellum est, quo plus Amicis, quàm hostibus nocetur: ut non vincere hostes melius putem, quàm Amicos perdere: servare Amicos, ne vel hostes sint. An Cothurnus Octaviæ fallit?*

NERO. Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.

SENECA. Servare cives, major est patriæ patri.

Altera Neronis in Tragicâ scenâ vox est, & hoc satis; ut sæva & iniqua sit; altera Senecæ, & quid nisi ipsius Sapientiæ oraculo formata?

Respon-

Responsio Politico-Catholici ad Litteram K. Puteani.

Pvteanvs.

Aliquos fines (Rex Magne) non tuos esse, ut plures habeas.

Politico-Catholicvs.

Quid? fineret Rex Batavos non esse suos? Quid aliud suades, quàm ut Batavis cedat, & concedat Hollandiam? Nimirum tunc plures haberet. Imò plures amitteret: quia aliæ fortassis Provinciæ, cùm viderēt Batavos libertatem illam imaginariam sibi bello asseruisse, in eandem spem se duci permitterent. Claudius Civilis Batavorum Dux, adversùs Romanos bellum movebat. Missus est ad eum Alpinus Montanus cum mandatis, ut à bello abstineret. Sed Civilis omnibus modis egit, ut Montanum in suas partes traheret. Ejus verba hæc sunt apud Cornel. Tacitum: *En ego Præfectus unius cohortis & Caninefates, Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus.* Quæ verba non parvam difficultatem involventia, ex eo quòd videantur significare Bataviam esse Galliis adnumerādam, Adrianus Iunius Hornanus Medicus in suâ Batavicâ historiâ cap. 4. sic explicavit. *Istic primâ fronte opinetur aliquis exiguam Galliarum portionem Batavos dici, quòd inter Gallias numeranda veniat Batavia, quum nihil istiusmodi sit. Sed, cùm Civilis odoraretur ingenium Montani ad novandas res paratum, suisq; conatibus peraccommodum, quò illum in suas partes attraheret, qui in Galliis plurimùm auctoritate valebat, hoc argumenti ariete concutere voluit. Si ego cohortis unius Præfectus cum Batavis & Caninefatibus, qui respectu totius Galliæ vix millesima ejus pars sumus, Romanos fudimus vicimusq; quid futurum, si Galliæ, excusso jugo, socias vires conjungant, & communibus armis hostem communem, impetant? Nisi quis fortè eò tendisse horum verborum scopum autumet, quòd Batavos Galliæ portionem vocet, ut faciliùs defectionis necessitatem illi persuaderet;*

quæ

quæ gentem communem citiùs ad arma commoveret capienda, quàm peregrinam & alienam. Ecce Civilis, quia Batavia defecerat, exigua Romani Imperii portio, Gallias ad defectionem hoc exemplo sollicitabat: & hâc tēpestate non poterit esse eadem Batavia exemplo, ut aliquæ Hispanici imperii Provinciæ ad defectionem moveantur? Nam Civilem suum imitari possent Batavi, aliosque hoc eodem argumento inflammare. Si nos Batavi, qui respectu totius Hispanici imperii millesima ejus pars sumus, tamdiu rebellionem nostram sustinuimus: quid futurum, si aliæ Provinciæ socias vires conjungerent, & communibus armis Hispanos impeterent? Rex igitur rebelles hos compescat, ne pessimæ rei exemplum det Italis, Siculis, Aragoniis, Lusitanis, & cæteris à quibus colitur.

PVTEANVS.

Pacem non tuis daturus, salutem tuis, nullo quidem victoriæ præmio, magno gloriæ; quod luculentissimum ab utrisque auferes.

POLITICO-CATHOLICVS.

Notet lector diligenter hæc verba. Sensus est. Si des pacem non tuis, id est, Hollandis; si des salutem tuis, id est, Brabantis, Flandris, Arthesiis, Hannoniis, Luxēburgiis, & cæteris qui supersunt, tunc quidem nullam victoriam habebis, sed magnam gloriam & luculentissimam referes. Quod stultius consilium dari posset? Enimverò nullum victoriæ præmium proponit, sed solam gloriam. At quam gloriam Rex referet, si Hollandos sinat non esse suos, iisque pacem tribuat: Referet potiùs dedecus sempiternum, suam purpuram perpetuæ infamiæ maculâ denigrabit; quia paucarum provinciarum viribus, Potentissimus Orbis Monarcha inferior fuisse videbitur, quia hæreses toleravit, quia pacem victus sordidâ necessitate concesserit. Quid? Regum Hispaniæ, opulentissimum tot Regnorum Regem, solis Hollandis cedere debuisse! ab iis victum, & suam hæreditatem dare Rebellibus coactum? Rideret orbis totus, Regnorum suorum rebelliones novas quotidie videret, ac novos hostes.

Nullus

Nullus enim Hispanos, quos hactenus invictos crediderunt, bello aggredi, & ex iis victoriam referre desperaret, qui paucas insulas ad officium reducere non potuissent. Postremò, quæ gloria Regi nostro accederet, si à bello desisteret? *Pudendum* (inquit Onosander auctor Græcus Philosophus Platonicus in Strategico cap. 4.) *ac periculosum est, bellicos excitasse tumultus, & veluti mare terramq; prœliis miscere voluisse, deinde turpiter inceptis desistere, proramq; obvertere. Etenim unusquisque supinam hujusmodi amentiam deridet, imbellemq; audaciam ludos facit.* Hæc ille.

PVTEANVS.

Vincere paucos possis, qui multos regis: sed parcere si malueris omnibus, longè major eris. Bellorum egregii fines, *ut cum Tacito dicam*, quoties ignoscendo transigitur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Cur antè fortunæ disputandum reliquisti, an invicti essent: quandoquidem Regem nostrum, qui multos regit, paucos vincere posse fatearis? Mutas pellem, sæpè tibi dissimilis. Præterea multùm Hollandis pepercerit, magnamq; clementiam ostenderit: si illis supplicibus & paratis imperata facere, remittat pertinaciam & rebellionem, quæ tanti constiterit. Sed quamdiu bello infesti sunt, veniâ sunt indigni; illis Rex parcere & cum illis ignoscendo transigere non potest, quia rebelles persistunt, quia Regium Patrimonium sine jure occupant, & hæresibus inficiunt.

PVTEANVS.

Tam tui, quàm non tui, tui sunt: alios imperio, alios titulo complecteris. Belgæ sunt, ut scias tuos esse: & Belgarum manes Princeps, bello an pace utaris; ubique potens, qui Orientis & Occidentis terminos circumductâ gloriâ tenes.

POLITICO-CATHOLICVS.

Belgium universum non solùm titulo, sed etiam imperio complecti desiderat. Desiderium hoc justum est, quia jura exigunt; sanum, quia potest. Belgarum quidem manet Princeps, bello an pace utatur: sed omnium Belgarum Princeps

libertas apud Belgas desiderari potest? Nos Catholici Regē amamus, & ex eo non nisi clementiā experimur: Albertum, Belgii nostri delicium, amavimus dum viveret, ejusque jucundissima nobis est recordatio; Isabellæ Claræ Eugeniæ (nam *mulierem fortem* ex voto Salomonis invenimus; & in eâ justitiæ, misericordiæ, ingenii, prudentiæ circumspectissimę, pietatis admirandæ, universas dotes reperimus) æternitatē annorum optamus. Cur Batavi, tam suave imperium aspernantur? An Batavi Belgarum optimi, an deterrimi? Sceleratis illis & rebellibus filiis, à Rege hæc perniciosissima libertas est adimēda, si verè sit pater. Quòd bello jam cogantur; non Regiæ severitati (quâ sæpè etiā uti debent boni patres) sed rebellium pertinaciæ referendum, qui legitimū Regem nolunt agnoscere, ut nempe ipsi imperent; eorum stultitiæ tribuendū, qui ne uni serviant, pluribus servire non renuunt.

PVTEANVS.

Infelix sanè, & miserandum bellum est, quo plus Amicis, quàm hostibus nocetur: ut non vincere hostes melius putem, quàm Amicos perdere: servare Amicos, ne vel hostes sint. An Cothurnus Octaviæ fallit?

NERO. Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.

SENECA. Servare cives, major est patriæ patri.

Altera Neronis in Tragicâ scenâ vox est, & hoc satis, ut sæva & iniqua sit; altera Senecæ, & quid nisi ipsius Sapientiæ oraculo formata?

POLITICO-CATHOLICVS.

Hactenus multis honorum titulis bellum nostrum affecisti. Nam præterquàm quod bellum *pessimum*, *bellum belli causâ gestum, longum, sævum, indomitum, incendium, ac diluvium, sævam tempestatem, cruentum* appellaveris: jam *infelix & miserandum* vocas, *quo plus amicis nocetur quàm hostibus; & quo amici perduntur, non vincuntur hostes.* Ego verò proditores accusare malo, authores hujus belli infelicis & miserandi. Nam plus amici amicis nocuerunt, quàm hostes; amici amicos nostros perdiderunt, nō hostes nostri vicerunt. Si Patria quasdā calamitates passa sit, majores Hollādi patiuntur. Vicerunt urbes? Plus victoria nocuit, quā profuit, multi profusi milliones;

populus majoribus ſemper tributis oppreſſus; & qui libertatem jactant, ſuos tyrannide intolerandâ oppreſſerunt. Amicæ urbes ſunt perditæ; vel tradidit, vel viam aperuit Bergius: à quo fortiter ſervandas credebat Rex Patriæ Pater. Cæterùm, ut nos ſervet, bellum gerit: ſervare etiam hoſtes cupit, ſi parendo, ſalutem ſuam velint. Nihil in Rege noſtro Neronianum, nullam ſævam & iniquam vocem exiſtimes.

Littera L. PVTEANI.

Rex pater eſt, Patriæ vulnera Regis ſunt: non poteſt Patriæ fortuna à Rege ſeparari. Hic ſentit, quicquid illa malorum ſuſtinet: ideò enim pater eſt. Sentit Ærario, nimiis ſumptibus debilitato; ſentit nomine, ſiniſtrâ belli famâ imminuto; ſentit toto imperii corpore, quod à cladibus Belgicis quodammodò languens, tempeſtivo otio ac fomento indiget. Tota quidem belli fortuna, nequid diſſimulem, varia fuit: propitia interdum & proſpera, ſed ut graviùs premeret: & dejecti ſæpiùs hoſtes, ut à caſu fortiores ſurgerent. Faciliùs enim frangi vires, quàm animi potuerunt: qui quamdiu ſuperſtites erant, novum ſemper ad rebellandum adferebant robur. Adferent quoque, & novum ſemper à vicinis, ut dixi, Principibus derivabunt. Hi Hiſpanæ gloriæ ac nomini, fœdere amici, damno hoſtes, Batavorum manu & virtute infeſti ſunt: cauti callidiq́, in alieno bellum ſolo gerere, ut à ſuo excludant. Ergò plus ſimul omnes poſſunt loci fiduciâ, quàm unus: & plus ab omnibus damni eſt, quàm præſidii ab uno. Sed pudet effari: in ſpithamâ, imo puncto terræ, Europæ totius bellum eſt, & miramur durare poſſe? Non abſimili quidem ratione (ut ad imaginem veniam) omnes in mare amnes influunt, & mare fiunt. Quis igitur naturæ modus, quæ artis induſtria, ingenii dexteritas tam vaſtum, & ſemper ſibi ſimile elementum exhauriat? Claudantur fluviorum oſtia, reprimantur aquarum ſubſidia, ut quod fieri non poteſt, fiat: id verò ſi mortalium conatus & cogitationes excedit, cum mari & Neptuno pax ſit. Trahit ille quicquid ubique aquarum eſt, & tanquam moveat omnia, undis inſurgit, turbinibus fremit, tempeſtatibus bacchatur: nullius jam littoris patiens, etiã terræ infeſtus eſt. Refert Naturalis Hiſtoriæ ſcriptor,

Mare

Mare omne oleo tranquillari. Et ob id urinantes ore spargere; quoniam mitiget naturam asperam, lucemque deportet. *Ex oleâ oleum; illius enim succus est. Olea mitissima Palladis & arbor & fructus est, Pacemq. notat, sed bello meliorem esse. Cedat rursus Neptunus Deæ, quæ Athenis nomen dedit: cedat unda oleæ, arbori mare. Oleo opus, Pace, vel Induciis opus, ut sedeant & subsidant fluctus nostri, sternatur mare, nulloq. infame naufragio securas merces in quamcumque Orbis partem transmittat. Prorsus componendi nimiùm jam diuturni hi tumultus sunt, ne in graviora tandem mala, &, quod Deus avertat, totius ruinam magnitudinis trahentia, erumpant. Componendi, inquam, ut reliqua aliquando Europa, quæ hinc turbatur, Iani velut clauso limine, conquiescat. Nostra tranquillitas omnium felicitas erit; Pax nostra, Regis securitas. Gloriosum æstimari debet, quod tutissimum est: tutissimum autem non pugnare.*

Responsio Politico-Catholici ad Litteram L. Puteani.

Puteanus.

Rex pater est, Patriæ vulnera Regis sunt: non potest Patriæ fortuna à Rege separari. Hic sentit, quicquid illa malorum sustinet: ideò enim pater est. Sentit Ærario, nimiis sumptibus debilitato; sentit nomine, sinistrâ belli famâ imminuto; sentit toto imperii corpore, quod à cladibus Belgicis quodammodò languens, tempestivo otio ac fomento indiget.

Politico-Catholicus.

Hîc tacitè Regem inertiæ accusas, quòd nec Patriæ, nec suis vulneribus medeatur. Nam quis non, qui sua sentit vulnera, statim medelam adferat? Regem autem, & sua & Patriæ vulnera sentire asseris, ærario nimiis sumptibus debilitato; nomine, sinistrâ belli famâ imminuto; toto imperii corpore, quod à cladibus quodammodò languet. Sed quomodò ærarium nimiis sumptibus debilitatum dicis; cùm priùs, illud exhaustum dixeris? Nomen Regis, non est sinistrâ belli famâ imminutum: nam si in solos Hollandos pugnasset ha-

 ctenus,

ctenus, turpe id quidem foret, eos nondum victos esse. Regis Franciæ nomen imminutum dicas, qui hæreticos, & Regi suo legitimo rebelles, multis militum millibus, multis auri millionibus, & jam non ita pridem datis 500. aureorum millibus, & recenter promissis quatuor millionibus juvare non cessat. Nec languet totum Imperii corpus, ob unam Bataviam: florent enim amplissima Regna, in immensum diffusa, quæ nec otia, neque fomentum postulant, sed bellum quòd totâ virium contentione moveatur; ut valido impetu, terrestri navalique bello, hostes semel oppugnentur. Fave Rex his votis: & vicisti.

PVTEANVS.

Tota quidem belli fortuna, nequid dissimulem, varia fuit: propitia interdum & prospera, sed ut graviùs premeret: & dejecti sæpiùs hostes, ut à casu fortiores surgerent. Faciliùs enim frangi vires, quàm animi potuerunt: qui quamdiu superstites erant, novum semper ad rebellandum adferebant robur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Ita belli fortuna propitia fuit, sub præclarissimo Duce Spinolâ, ut semper plura perdiderint. Sub Bergio nequissimo proditore (quem in Vigiliâ S. Ioannis Baptistæ Statibus Hollandicis fidelitatem jurasse audivimus, suamque operam in Geldriâ expugnandâ promisisse) perdita sunt, quæcumque perdita lugemus; secutasque victorias, Auriacus ipsi acceptas referre debet. Cæterùm hæc tua oratio, non nisi hostium pertinaciam exaggerat: quæ nos inflammare debet, ut, licèt vires nostræ frangerentur, nostri quoque non frangantur animi, bonâ causâ freti, sed potiùs excitentur; ut quamdiu superstites sumus, novum semper adversùs rebelles robur adferamus.

PVTEANVS.

Adferent quoque, & novum semper à vicinis, ut dixi, Principibus derivabunt. Hi Hispanæ gloriæ ac nomini, fœdere amici, damno hostes, Batavorum manu & virtute infesti sunt: cauti callidique, in alieno bellum solo gerere, ut à suo excludant. Ergo plus simul omnes possunt

loci

loci fiduciâ, quàm unus: & plus ab omnibus damni est, quàm præsidii ab uno.

POLITICO-CATHOLICVS.

Quis non in animo tuo venenum latere suspicetur? Principes, qui adversùs Regem Hispaniæ Batavorum manu pugnant, non modò non aliquo verbo reprehendis: sed eos à prudentiâ laudas, eos cautos & callidos appellans, quòd in alieno solo bellum gerant, ut à suo excludant. Impiam, & ex Machiavelli, diabolici professoris, Cathedrâ deprompram sequuntur sententiam illi Principes: apud quos Ratio status, figmentum illud Luciferi, plus valet quàm Deus, quàm bona conscientia. Fidem jurant & non servant, tanquam securi, si apertè non frangant; si non suâ, sed alienâ manu pugnẽt. Christiani sunt, quinimò se Christianissimos esse gloriantur; & hæresis patrocinium suscipiunt: quasi Ratio status excuset, si leges divinæ & humanæ frangantur; quasi Christianissimi, qui Idolum Status Deo præferunt; & qui (an dicam?) Atheos aut hæreticos se quidem & voce & veste negant, factis autem se tales ostẽdunt. Detrahetur aliquando hæc larva status, ejus turpitudo revelabitur, & castigata ridebitur. Væ qui arundineo, humanæ & Machiavellisticæ prudentiæ, & impiæ astutiæ & calliditatis baculo nituntur; qui justitię lancẽ eripiunt, & eam pro suo arbitrio ipsi librant; qui ipsammet divinam Providentiam gigantæo fastu, veluti cęcam ducere, & regere amentes & cæci volunt. Vbi tuum, Ludovice, IVSTI cognomen? Quàm malè hæc porta (ô Deus!) sub tam malo CARDINE versatur! Rex Gallię, cũ Rege Catholico, pacem certis conditionibus constitutam; fide datâ, verbo, scripto, juramento cõfirmatam habet. Quia Rex Catholicus, ob pietatis studium, & Ecclesiæ amorem incomparabilem, à Deo prospero fortunæ cursu donatur; quia cœlesti favore, novas Provincias, & Regna, potentiam, & divitias acquirit; suadet Politicus Gallus, si Regnum, & se salvum velit, per se, vel alios omni modo laboret, Hispani prosperitatem impedire. Quod futurum spondet, si novos & potentes hostes

in eum excitet, si rebelles & hæreticos foveat, si cum Austriacæ familiæ hostibus, licèt hæreticis, fœdus ineat, si illis auxilia ferat. Intereà Deus spernitur, rumpuntur pacis vincula, Religionis ejusdem professio, affinitas atque fraternitas. Vrget Politicus Gallus stultum & simplicem esse, qui potentiori confidit, qui vicini Regis potentiam non timet. Sed hæc malesana consilia sunt abominationes ante Deum, qui charitatẽ fidemq; servari præcipit, dolum fugere, non hostiles animos sub osculo pacis gerere, veram doctrinã tueri & propagare, non hæreses etiã indirectè (effugium diabolicũ) conservare & propugnare; non Regi suo legitimo rebelles, armis, pecuniâ, auctoritate, consilio, hortatu ad se tuendos juvare. Sylvamducis in deditionem acceperunt Hollandi, Francis non solùm auxiliantibus, sed ipsismet oppugnantibus; & statim pro Auriaci Principis equis non aliud stabulum repertum est, quàm primarium urbis Templum; disjectæ sunt Sanctorum imagines, polluta Altaria, Religiosi & Sacerdotes expulsi, & novissimè Episcopus fugam capere monitus, sacræ Virgines ad sacrilegas nuptias sollicitatæ, adolescentuli ad abjurandam fidem & Religionem Catholicam minis & verberibus compulsi. Et adhuc tamen Franci juvant Batavos, quos vident Catholicæ Religioni miserandam vastitatem inferre, non solùm Sylvæducis, sed quocumque sua victricia arma proferunt. Quis non igitur adversùs Francos justâ indignatione moveatur? Laurentius Surius in Commentario brevi rerum in orbe gestarum, refert anno 1568. scriptam fuisse Constantinopoli epistolam, ubi fiebat mentio cujusdam non postremi Hugonotæ, expresso etiam ejus nomine, qui ex Galliis venerit Constantinopolim, ibiq; egerit cum supremo Bassa, homine astutissimo, de Hugonotis in Turcarum Imperatoris fidem & clientelam suscipiendis. Cùm intellexisset Bassa Hugonotas adversùs suum Regem Carolum rebellare, valdè in hominem commotus est, respondit que (Laurentii Surii verba subjiciam) per interpretem. *Hugonotas longè inferiores esse, quàm ut ad illorum amicitiam*

tiam

tiam ſeſe demittat ſupremus Orbis Princeps: nec fidem haberi debere iſtis ſociis, qui proprium etiam Regem proderent & impugnarent. Turcas ſolitos eſſe cum Imperatoribus, Regibus, & magnis Principibus agere, non cum perfidis ſervis & rebellibus ſubditis. Audiant Galliæ Reges ab uno Turcâ, Chriſtianæ doctrinæ ignaro, homine barbaro; diſcant non fovere & pecuniis juvare hæreticos, & Regi ſuo rebelles. Quod Turca noluit, id agent Chriſtianiſſimi? Quidnì dicant, ad hujus Baſſæ exemplum, Hollandis auxilia petentibus, Hollandos hæreticos longè inferiores eſſe, quàm ut ad illorum amicitiam ſeſe demittat Rex Chriſtianiſſimus: nec fidem haberi debere iſtis ſociis, qui proprium etiam Regem produnt & impugnant; deniq; Regem non cum perfidis ſervis & rebellibus ſubditis agere? Nunc verò hæreticos, rerum ſacrarum contemptores, avitæ pietatis peſtes, rebelles, totius Orbis procellas, Franci juvant. Quis hæc execranda fœdera æquo animo ferat? quis laudet? Nulli laudant, niſi maleſani Politici, quibus Deus, & ſacra omnia riſui ſunt; imò quibus nullus Deus, vel nullus niſi Chymerici Status Idolum: Reſipiſce Rex Ludovice, neque pravis conſiliis acquieſce. Habes deinde aliquos, qui ſub ſanctitatis & religionis habitu, non ſolùm in Franciâ, ſed etiam Bruxellis cuncta perturbare & ſeditionibus permiſcere nituntur. Columbam illam, non cum Olivæ ramo miſſam, etſi FOLIORUM nomen præferat, citò in arcam ſuam revoca & claude. Audio & armorum apparatum in Galliâ non mediocrem inſtrui. An forſan pro Hollandorum vel Proteſtantium patrocinio? Præſtat, & valdè proficuum eſt, *in regnandi jure* (ut aureis Baronii ad annum 898. verbis utar) *Religionis imprimis præ cunctis rationem habere, eamq; cæteris humanis, & quas ſuadet prudentia carnis, rationibus præferre, cuſtodire, illibatamq; ſervare*; & in Carolo Simplice, apud eundem, agnoſcas exemplum. Ne diu hîc hæream, omnes Principes, qui Hollandis auxilium in cauſâ iniquiſſimâ ſubminiſtrant, qui Hiſpanæ gloriæ ac nomini invident, qui Hiſpanicam potentiam conantur evertere, cauti quidem callidique ſunt, ſi mundi

ſapientiam ſpectemus: ſed ſecundùm Dei ſapientiam planè ſtulti ſunt, prudentiam non habent, quia tam præclara virtus cum vitio conjungi nequit. Nec à ſuo ſolo ſemper bellum excludent; ſed ita Regis iracundiam provocabunt, ut ſe in eos ſit aliquando armaturus, & in eorum ſolum graviſſimas calamitates immiſſurus, Deo auxiliante & ſimul vindicante; quem conſtat, *lentum quidem, ſed certum vindicem generis humani eſſe, & magna exempla in caput invenientium regerere, ut juſtiſſimâ patiendi vice, quod quiſque alieno excogitavit ſupplicio, ſæpè excipiat ſuo*, ut loquitur Seneca lib. 10. controverſ. Fiet illud, quando Rex noſter Potentiſſimus omnes vires ſuas ad hoc unum bellum convertet. Tunc oſtendet ſe unum plus poſſe, quàm ſimul omnes; à ſe uno plus præſidii eſſe, quàm ab omnibus damni; ſe nec Neptuni furentis rabiem timere, & quibuſvis tempeſtatibus ſuperiorem.

PVTEANVS.

Sed pudet effari: in ſpithamâ, imo puncto terræ, Europæ totius bellum eſt. & miramur durare poſſe? Non abſimili quidem ratione (ut ad imaginem veniam) omnes in mare amnes influunt, & mare fiunt. Quis igitur naturæ modus, quæ artis induſtria, ingenii dexteritas tam vaſtum, & ſemper ſibi ſimile elementum exhauriat? Claudantur fluviorum oſtia, reprimantur aquarum ſubſidia, ut quod fieri non poteſt, fiat: id verò ſi mortalium conatus & cogitationes excedit, cum mari & Neptuno pax ſit. Trahit ille quicquid ubique aquarum eſt, & tanquam moveat omnia, undis inſurgit, turbinibus fremit, tempeſtatibus bacchatur: nullius jam littoris patiens, etiam terræ infeſtus eſt. Refert Naturalis Hiſtoriæ ſcriptor, Mare omne oleo tranquillari. Et ob id urinantes ore ſpargere, quoniam mitiget naturam aſperam, lucemque deportet. *Ex oleâ oleum; illius enim ſuccus eſt. Olea mitiſſima Palladis & arbor & fructus eſt, Pacemq; notat, ſed bello meliorem eſſe. Cedat rurſus Neptunus Deæ, quæ Athenis nomen dedit: cedat unda oleæ, arbori mare. Oleo opus, Pace vel Induciis opus, ut ſedeant & ſubſidant fluctus noſtri, ſternatur mare, nulloq; infame naufragio, ſecuras merces in quamcumque Orbis partem tranſmittat.*

Po-

Ne nimis imperitus esse, neque has perplexas ambages videar intellexisse; Lector, hoc filum Ariadnes accipe: & mecum sub hoc verborum labirynthæo circuitu, dum se explicat & non explicat, dum ludit & eludit, sensum diligenter excute. Vult significare, finiri posse bellum, si pax fiat cum Neptuno & mari (quod inquit, claudi non potest à Rege Hispaniæ, tanquam si ejus conatus & cogitationes excederet) si oleum Pacis vel Induciarum in mare infundatur, si sternatur mare, nulloque infame naufragio, securas merces in quamcumque Orbis partem transmittat, id est, si in pacis vel induciarum tractatione Hollandis libera permittatur navigatio. Quem enim alium sensum eruas? Sed hanc non permittendam esse, ad litteram Q ostendam. Sufficit mihi, Lector, tibi hoc loco insidiosas verborum ambages detexisse. At, an *oleo opus, Pace vel Induciis opus, ut sedeant & subsidant fluctus nostri*? Verumenimverò licèt mare oleo tranquilletur, teste Plinio, oleum autem sit ex oleâ sive olivâ, quæ pacis est symbolum; non tamen Pace (quam pertinaciter nostris negarunt Batavi) jam opus, non jam opus illo oleo, ut sedeant & subsidant fluctus nostri. Rex, ut gratam sibi pacem futuram demonstraret, è Belgici status sui arcâ, tot tempestatibus agitatâ, viros Primarios, velut columbas emisit: sed ramum olivæ ab obstinatis & perduellibus referre non potuerunt. Quid restat, nisi ut Rex tam diu cum fluctibus generosè luctetur: donec hujus belli (quod diluvium priùs appellasti) procellas Deo, extinctis suis hostibus, componere placuerit? Sedabit aliquando misericordiæ suæ oleo hos fluctus, quos peccata Belgii, sępiùs bellis & seditionibus in Veteri Testam. castigata, meruerunt. Quando hostium malitia suas partes egerit; Deus, cùm acceperit tēpus, aget suas. Ergóne sic vivimus, quasi si Providētia ac Iustitia divina periisset? A Deo, ad Regē, qui Dei imago est, transeamus. Quamvis hęresis & ambitiosa invidia, velut infestæ Iunones, has Regi nostro, velut pio Æneæ, tēpestates moveant; variosq; Principes ac Reges,

velut ventos, instigantes nempe, & ad hoc bellum nefarium propellentes, in Regis nostri perniciem arment; licèt

Vna Eurusq́ Notusq́ ruant, creberq́ procellis
Gallicus, & vastos volvunt ad sydera fluctus:

Si classem Rex instruat (nec tamen terrâ hostes oppugnare desinat) facilè ut alter Neptunus (nam Rex est maris Dominus, sicut in litterâ P. fateris) facilè, inquam, coget Principum auxilia

Maturare fugam, Galloq́ hac dicere Regi:
Non illi imperium pelagi &c.

Verùm, ut cum eodem Virgilio loquar lib. 6.

Quis procul ille autem ramis insignis OLIVÆ?

Te mihi alloqui liceat, Excellentissime Comes de OLIVARES, cujus consiliis tanquam Athlantæis humeris, tali OLIVA felix, recumbit Hispania. Belgium nostrum, Heros prudentissime, tot bellis concussum aspice. VNITATEM FORTEM, quam cognatus germanus tuus, Excellentissimus Marchio de LEGANES optimè dispofuit, & Belgio nostro persuasit, tuo munere in praxim redigi videamus. Regem nostrum Maximum ad triumphales Lauros ex Fidei & Hispanorum hostibus capiendas invita: ut tandem sub Regio sceptro, virentibus pacificæ OLIVÆ ramis pulchrè intertexto, gaudeamus. Communem omnium tranquillitatem Tibi acceptam referent Belgicæ Provinciæ, & totus Hispanus Orbis. In nummo Severi Pii Aug. Togatum erat simulacrum cum OLIVÆ ramo, cujus inscriptio, *Fundatori Pacis.* Ita, utinam tua consilia Regem nostrum Togatum faciant, id est, fruentem pace; nam Toga apud Romanos olim pacis signum. Tunc Regi nostro, hanc inscriptionem in unâ nummi parte statuemus, *Fundatori Pacis:* in alterâ ejus parte, OLIVÆ ramum, ad memoriam nominis Tui sempiternam.

PVTEANVS.

Prorsus componendi nimiùm jam diuturni hi tumultus sunt, ne in graviora tandem mala, &, quod Deus avertat, totius ruinam magnitudinis trahentia, erumpant. Componendi, inquam, ut reliqua

aliquando

aliquando Europa, quæ hinc turbatur, Iani velut clauſo limine, conquieſcat. Noſtra tranquillitas omnium felicitas erit; Pax noſtra, Regis ſecuritas. Glorioſum æſtimari debet, quod tutiſſimum eſt : tutiſſimum autem non pugnare.

POLITICO-CATHOLICVS.

Bellum proſequendum eſt; ſed ita ut majoribus viribus agatur: tunc facilè hi diuturni bellorum tumultus compeſcentur. Graviora mala, & quæ totius ruinam magnitudinis trahent, ſequentur, ſi bellum omittamus. Tota Europa turbabitur: quippe tunc Francus & Batavus, totam belli molem adversùs Auſtriacam familiam convertent. Quâ extinctâ, quid reliquum erit, niſi, ut Hiſpanicam potentiam, quæ Auſtriacos etiam illuſtrat, labefactare & peſſumdare contendant? Quapropter, ſi magno cum animo & pondere, bello acerrimo petantur in unâ Bataviâ Francus, Rebelles, Hiſpanæ gloriæ ac nominis invidi, fœdere amici, damno hoſtes: nónne Rex deletâ plurimorum ſuorum hoſtium virtute, nobis tranquillitatem, ſibique ſecuritatem dabit? Nónne, ſi devictâ Bataviâ, adversùs Cæſaris hoſtes poſſit pergere, omnes tumultus componentur, & reliqua Europa, quæ hinc turbatur, Iani velut clauſo limine conquieſcet? Vinci autem à Rege Batavos poſſe, facillimum eſt, ſi Rex (ut dixi) in illos totam ſuam potentiam vertat. Pugnandum ergo. Glorioſum æſtimari debet, quod tutiſſimum eſt: tutiſſimum autem pugnare eſt. Nam in tuto non erit Cæſar, neque Rex. Non Cæſar, quia bellum cum cæteris Cæſari movebunt. Non Rex, quia per Indicas navigationes, quas ipſis concedi vult Puteanus, divitias acquirent ac vires, ſi ſecuras merces in quamcumque Orbis partem tranſmittant: & ſic denuò ex minimâ ſcintillâ ruptâ pace, gravius bellum excitabunt, quando è Belgio miles abſceſſerit.

Littera M. PVTEANI.

Vt hactenus quidem longâ mutuâq; bellum clade ductum eſt, utræ victoris, an victi partes ſint, dubiâ adhuc lance pendet. Cæca fortuna

est, quæ, cùm favet, cæcos reddit. Sed prosperis rebus se non exoculari hostes ostendunt; ad pacem & concordiam faciles, postquàm felicia recenter arma experti sunt. Atque hoc est vincere, modum felicitati ponere, & suspectum habere, quicquid ab eventu pendet. Frangi vires sciunt, cùm extendi incipiunt: non maxima acquirere, sed moderata regere, tutissimum esse: ne plura (quod avidorum est) capiant quàm contineant. Bono sic quidem ad consilium exemplo præeunt, concordiâ finire bellum parati, postquàm prosperè gessère. Non urbes, sed Provinciæ totæ uno impetu, & unâ æstate raptæ sunt: & ecce, qui ad pleniorem etiam victoriam properant, conditiones amplectuntur. Nempe Induciarum avidi, pacisci, licèt pugnent, cupiunt; terminare victoriam, ut ærumnæ desinant.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad litteram M. Puteani.

PVTEANVS.

Cæca fortuna est, quæ, cùm favet, cæcos reddit. Sed prosperis rebus se non exoculari hostes ostendunt; ad Pacem & concordiam faciles, postquàm felicia recenter arma experti sunt. Atque hoc est vincere, modum felicitati ponere, & suspectum habere, quicquid ab eventu pendet. Frangi vires sciunt, cùm extendi incipiunt: non maxima acquirere, sed moderata regere, tutissimum esse: ne plura (quod avidorum est) capiant quàm contineant.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nec Baudius, nec Heinsius, nec quicquid Lugduni floret eloquentium virorum, tam illustri præconio Batavorũ laudes unquam extulit. Primò, dicit eos secundis fortunæ successibus non insolescere, non exoculari; esse ad pacem & concordiam faciles, postquàm felicia recenter arma experti sunt. Quâ in re, si tam verè quàm disertè loquereris: nullus te mendacii posset arguere. Ita enim secunda eos inflavit fortuna: ut pacem & concordiam facere nolint; nisi tanquam victores & veri Hollandiæ Domini, iniquissimas conditiones nobis non victis imponant. Tentatum est à nostris Statibus, quidquid justi & recti tentari potuit & debuit: nihil

nihil effectum. Nullo quidem cum fructu, sed cum illustri sui constantis, erga Regem Regiamque dignitatem, amoris & fidelitatis testimonio redierunt. Secundò, dicis eos velle *modū felicitati ponere*, & se intra suos limites cōtinere*: quia frāgi vires sciunt, cùm extendi incipiunt : non maxima acquirere, sed moderata regere, tutissimum esse: ne plura (quod avidorum est) capiant quàm contineant*, Quâ in re manifestè falleris. Nam, si pace frui possent, nec Coloniæ parcerent, quam spe devorabant, quando novissimè eam aggredi tentarunt. Et jam, quasi non sufficeret unus hostis, etiam Leodienses lacessunt. Fama enim fuit, Batavos propugnaculum quoddam sub ditione Leodiensi, non procul à Limburgo situm, invasisse, & jam ad sacros tuos, *ô Legia Romanæ Ecclesiæ Filia*, thesauros aspirare. Fidem fecerunt interceptæ litteræ (ut taceam alias etiam de capiendo Leodio, à magno illo Purpurato Galliæ ad Auriacum missas, interceptas, & in Capitulo S. Lamberti Leodii lectas) à Genevensibus, Calvinistarum antesignanis missæ; qui Hollandis suadebant, ut urbem Leodiensem quamprimùm occuparent. Monebant eos, nullo meliori modo bellum adversùs Hispanos alere posse, quam si in Ecclesiastica illius urbis ac ditionis bona involarent: futurum enim, ut triginta peditum, & quatuor equitum millia, nullo negotio sustentarent. Hæc jam in omnium ore. Cur deinde Pharnambucum, & insulas Orientis remotas tentarunt, si vires nolint extendere? Rex Hispaniæ, quem tacitè sugillas, multa acquirit & regit; vires jure extendit, nec franguntur; Hollandiam justè, nec ex ullâ aviditate capere cupit, quia illam in bono vivendi officio continere desiderat; quia & jam contineret, nisi domestici hostes (non enim hostes externi) ad hæresim disseminandam, verè furiarum facibus accensi, jam pridem rapuissent.

PUTEANUS.

Bono sic quidem ad consilium exemplo praeunt, concordiâ finire bellum parati, postquàm prosperè bellum gessère.

POLI-

POLITICO-CATHOLICVS.

Sunt, qui hæc altiori mente ponderarunt. Ecce eorum mentem aperio, etsi priùs potuissem dicere. Quid? Batavi bono ad exemplum bono præiverunt, concordiâ finire bellum parati, postquàm prosperè bellum gessêre? Dissuades, inquiunt, Hollandis, ne pacem vel inducias nobiscum faciant. Tanquam si diceres: Batavi prosperè bellum gessêre: cur concordiâ bellum finire sunt parati, quandoquidem Status Brabantici primi pacem vel inducias petant? Enimverò nugaris, dùm dicis eos bono nobis exemplo præivisse; cùm nos primi, mansuetudine & justæ pacis amore ducti, non necessitate compulsi, pacem vel inducias petierimus. Sic exacuunt ingenium suum, quicumque subtiles videri volunt. An ego sic etiam interpreter?

PVTEANVS.

Non urbes, sed Provinciæ totæ uno impetu, & unâ æstate raptæ sunt: & ecce, qui ad pleniorem etiam victoriam properant, conditiones amplectuntur. Nempe Induciarum avidi, pacisci, licèt pugnent, cupiunt; terminare victoriam, ut ærumnæ desinant.

POLITICO-CATHOLICVS.

Conditiones amplectuntur? honestas & æquas recusant. Illas statuunt, quæ ex libidine & immodicâ habendi & rebellandi cupiditate oriuntur, quam Regi fideles accipere non possunt, etiam cum vitæ fortunarumque omnium periculo. Inducias optant, sed iniquas, quas numquam Rex feret. Licèt autem urbes & Provinciæ intra breve temporis spatium raptæ sint: non in eas angustias nunc venimus, ut nos propterea hostium voluntati permittere, & quasvis conditiones accipere debeamus. Nec semper Batavi reperient nefarios proditores, vel ignavos urbium provinciarumque defensores: quorum operâ, tot urbes brevi tempore rapuerunt. Batavorum fortitudinem non timemus, quam nondum verè bellando ostentarunt.

Littera

Littera N. PUTEANI.

Sapiunt profectò, ut & nos iisdem sapere consiliis moniti velimus. Plures enim omni ævo Reges & populi, quia Pacem, sive fastu, sive virium fiduciâ, aut fortunæ, aspernati, fœdo hostibus exitu, etiam invalidis ludibrio fuerunt. Corinthii, ut est apud Thucydidem, instructâ classe Epidamno imminentes, cùm à Corcyrensibus ad Pacem misso caduceatore invitarentur, in certamen obstinato consilio descenderunt. Quid dicam, nisi irritatam fortunam fuisse? Victi sunt, & in fœdissimã fugam cum strage conversi, gravissimam universæ Græciæ calamitatẽ invexêre. Non feliciores Athenæ, duras à Lacedæmoniis admittere conditiones bello coactæ, quia æquas pace rogatæ, spreverant. Vinci meruerunt, quia nolebant nisi superbè vincere. Martis urbem mirari soleo: Marte, sed nimis tum superbo periit. Bello civili inter Cæsarem & Pompejum excitato, de Republicâ agebatur, non ut salva esset, sed utri cederet. Omnia Cæsar egit, ut odia & arma ponerentur: contrà Pompejus, tanquam validior, & toto fultus Senatu, unam in victoriâ Pacem collocare. Sed pugna punivit pertinaciam. Victus, & in fugam conjectus, qui Magnus appellari meruerat, non tam felix fuit, ut cum exercitu & libertate occumberet: quasi nomen simul cum fortunâ exueret, miserè viliterq; periit, mancipii (quod extremum est) Ægyptiaci arbitrio jugulatus. Passim ejusmodi exempla sunt, vetera & nova: nec ullus propemodùm tristioris belli eventus fuit, qui non contemptæ aut neglectæ Pacis caussam habuerit. Concordiam velle, felicitatis initium est: neque malè adhuc pugnatum est, si ad conditiones descendimus. Faciles esse, qui feliciores videntur, quanti momenti! ostendunt enim se bellum nosse, qui pacem præferunt; mutari posse, quæ fortuito successu blandiuntur.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram N. Puteani.

PUTEANUS.

Sapiunt profectò, ut & nos iisdẽ sapere cõsiliis moniti velimus. Plures enim omni ævo Reges & populi, quia Pacẽ, sive fastu, sive viriũ fiduciâ, aut fortunæ, aspernati, fœdo hostibus exitu, etiam invalidis ludi-

 brio

brio fuerunt. Corinthii, ut est apud Thucydidem, instructâ classe Epidamno imminentes, cùm à Corcyrensibus ad Pacem misso caduceatore invitarentur, in certamen obstinato consilio descenderunt. Quid dicã, nisi irritatam fortunam fuisse? Victi sunt, & in fœdissimam fugam cum strage conversi, gravissimam universæ Græciæ calamitatem invexêre. Non feliciores Athenæ, duras à Lacedæmoniis admittere conditiones bello coactæ, quia æquas pace rogata, spreverant. Vinci meruerunt, quia nolebant, nisi superbè vincere. Martis Vrbem mirari soleo: Marte, sed nimis tum superbo, periit. Bello civili inter Cæsarem & Pompejum excitato, de Republicâ agebatur; non ut salva esset, sed utri cederet. Omnia Cæsar egit, ut odia & arma ponerentur: contrà Pompejus, tanquam validior, & toto fultus Senatu, unam in victoriâ Pacem collocare. Sed pugna punivit pertinaciam. Victus, & in fugam conjectus, qui Magnus appellari meruerat, non tam felix fuit, ut cum exercitu & libertate occumberet: quasi nomen simul cum fortunâ exueret, miserè viliterq; periit, mancipii (quod extremum est) Ægyptiaci arbitrio jugulatus. Passim ejusmodi exempla sunt, vetera & nova: nec ullus propemodùm tristioris belli eventus fuit, qui non contemptæ aut neglectæ Pacis causam habuerit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Imò desipiunt profectò, quia pacem, sive fastu, sive viriũ fiduciâ, aut fortunæ sunt aspernati: cùm eam tot mensibus Status nostri flagitaverint. Caveant igitur, ne in similes calamitates incidant, in quas illi iniqui & superbi (quos adtulisti) pacis contemptores inciderunt. Sed ponamus Regem nostrum fuisse pacem adspernatum: an pœnas contemptæ vel neglectæ pacis formidare debet? Nequaquam: quia pacem, quæ tantùm injustis conditionibus haberi poterat, jure contempsit & neglexit. Corinthii victi sunt à Corcyrẽsibus, à quibus misso caduceatore, fuerant ad pacẽ invitati. Quando caduceatorem miserunt Batavi? Nos ipsi misimus, qui ad pacem justam, invitarent: rebelles contempsêre, & in certamen (si tamen certamen) obstinato consilio adhuc descendũt. Quid restat, nisi ut irritetur fortuna, quæ ipsis aliquamdiu videtur favisse; & in fœdissimam fugam conversi, gravissimam

simam universæ Hollandiæ calamitatem invehant? Si Athenæ infelices fuerint, & à Lacedæmoniis bello coactæ duras conditiones admittere, quia æquas pace rogatæ spreverant; etiam fœderatas Provincias non feliciores futuras debemus ominari, quæ æquas conditiones sæpiùs rogatæ spreverunt. Denique, bellum non est inter Batavos & Regem, quasi inter Cæsarem & Pompejum: nam ipsi non Regi Hispaniæ, ut Cæsari, vel ut Pompejo pares sunt. Quid erunt Batavi, si Rex totas vires suas secum trahat? Pompejus Cæsarem parem non ferebat, nec Cæsar Pompejum, ut loquitur Lucan. 1.

Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompeiúsve parem.

Tamen non semel pacem petivit Cæsar à Pompejo. *Numeriū* (inquit Plutarchus in vitâ Pompeii.) *Pompeii amicum, quem captum habebat, misit Brundusium pacem æquis conditionibus petens.* & infrà. *Iubium* (eum Cęsar nominat Vibullum Ruffum) *quem in potestate habebat secum, destinavit ad eum: ut ambo congressi, die tertio omnes exercitus dimitterent, reconciliatâq; amicitiâ, & dato jurejurando, redirent in Italiam.* Quia igitur Pompejus arma & odia ponere, & pacem æquis conditionibus dare noluit, victus est. Vinci possunt & Batavi, qui sæpiùs sollicitati, eam æquis conditionibus dare noluerunt. Victoriam speremus, si arma generosè & fortiter sumamus. Vides, ut tuis gladiis te confodiam?

PVTEANVS.

Concordiam velle, felicitatis initium est: neque malè adhuc pugnatum est, si ad conditiones descendimus. Faciles esse, qui feliciores videntur, quanti momenti! ostendunt enim se bellum nosse, qui pacem præferunt; mutari posse, quæ fortuito successu blandiuntur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nec ad conditiones tales descendere, nec isto modo concordiā velle debemus: nisi Regi, nobisque Belgis perpetuam infamiam inuramus. Concordiam bonam justamque voluimus; felicitatis nostræ initium erit, si audeamus. Neque

M ij adhuc

adhuc malè pugnatum hactenus, si ad bellum descendamus. Adsunt copiæ, munitæ urbes, commeatus non desunt. Ostendamus mutari posse, quæ tantùm fortuito successu illis blandiuntur; non quæ suâ fortitudine paraverunt.

Littera O. PVTEANI.

Sed nos ipsa quodammodò Fortuna monet, ne, patefactâ ad Inducias viâ, neglexisse benignitatem Numinis videamur. Si irâ aut spe extollimur, expendendæ vires sunt, an victoriæ sufficiant. Bellum enim sine victoriâ ærumna est: victoriæ fructum Pacem habemus. Sed ponamus, integras illas promptasq́ esse: regendæ sunt, aut ne vires quidem sunt: regi autem non possunt, nisi ad legem & disciplinam militia jam collapsa redeat. Ab ægro corpore quæ munia exigas? Plus cum exercitu, quàm hoste negotii sit. Hic autem nostrâ interdum seditione, plerumq́ negligentiâ vincit: animosior, quia extra aquas & paludes fortis nuper apparuit, parvis, copiis magnis ausus resistere, tanquam nihil ad victoriam numerus faciat. Sed quid? ubi plus fortunæ, minus jam ferociæ est; ubi plus victoriæ, minus superbiæ. Ecce ad fidem, ut dixi, malunt consilio pleriq́, quàm ad prædam manum extendere; pacisci, quàm collidi. T. Quinctii apud Livium verba insigniter huc faciunt: sed utris potiùs usurpanda: Pacem etiam qui vincere possunt, volunt: quid nos velle oportet. *Hæc summa est, possunt vincere, qui pugnare audent: sed malunt non pugnare, ut fortunam Pace firment. Ergo Regis nostri amicitiam, mutatis animis, & societatem æstimant; ut postquàm strenui fuere, tuti sint, & aliorum simul bella excludant.*

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram O. Puteani.

PVTEANVS.

Si irâ aut spe extollimur, expendendæ vires sunt, an victoriæ sufficiant. Bellum enim sine victoriâ ærumna est: victoriæ fructum Pacem habemus. Sed ponamus, integras illas promptasq́ esse: regendæ sunt, aut ne vires quidem sunt: regi autem non possunt, nisi ad legem & disciplinam militia jam collapsa redeat. Ab ægro corpore quæ munia exigas? Plus cum exercitu, quàm hoste negotii sit.

Po-

Nihil aliud tibi propositum videtur esse, quàm ut nos in desperationem victoriæ præcipites agas. Sed cur non victoriæ sufficiunt vires nostræ? Non ex virium nostrarum defectu, urbes cepit hostis: causas multas aperui, cur ferè sine pugnâ victor fuerit. Aut saltē novæ vires comparari possunt. Quæ jam sunt, disciplinâ militari destitutas esse, cur tam graviter quereris? Maxima exercitus nostri pars eos milites habet, qui in Germaniâ, aliisque locis præclara militiæ tyrocinia posuerunt: hostiles copiæ, nullam pugnam nisi ex suis aggeribus apud Trajectum valdè munitis, viderunt: numquam hactenus in campum prodierunt. Nec plus negotii est cū exercitu nostro, quàm cum hoste: nam nulla seditio tanto in exercitu nostro, ut velut hostis, urbes nostras ex iracundiâ aut stipendiorum defectu exacerbatus invaderet, quemadmodùm in primis Belgii tumultibus factum legimus.

PVTEANVS.

Hic autem nostrâ interdum seditione, plerumque negligentiâ vincit: animosior, quia extra aquas & paludes fortis nuper apparuit, parvis, copiis magnis ausus resistere, tanquam nihil ad victoriam numerus faciat.

POLITICO-CATHOLICVS.

Nisi Henrici Bergii secessionem & quorumdam proditiones intelligas, nullam aliam seditionem intelligo: sic vicit hostis. Negligentia verò, an apud Trajectum aliqua, dùm citò collectus miles non fuit, nec pugna maturè, imò nec ulla à Marchione Sancta-Crucio citò suscepta? Plurima similis negligentiæ exempla in hostibus, & quidem ipso Mauritio vidimus. In Bredanâ obsidione hæc notanda sunt. Primò, quòd urbi alimenta in multos annos necessaria non providerint. Secūdò, quòd Spinolam, cùm vix quindecim hominum millia penes se haberet, non impedierint; sed passi sint eum sua propugnacula & aggeres per otium facere, adeò ut ne quidem unum telum miserint. Tertiò, quòd flumē, quò Bredam navigatur, arcibus in ripâ erectis antè non communierint,

rint,quàm Spinola urbem vallaret. Quartò,quòd toto obſidionis tempore vivente Mauritio, hoſtilia munimenta per decem leucas diffuſa, non ſemel auſi fuerint impetere, nec ullum propugnaculum tentare. Quintò, quòd numquam noſtros aggreſſi fuerint, qui annonam & commeatum carris, octo leucarum itinere convehebant. Sextò,quòd abſente equitatu noſtro, qui ad vehendam annonam ſtipabat, numquam aggeres noſtros ſint aggreſſi, nullumq́ue ſui animi periculum fecerint,niſi leve quoddam ſub Comitis Henrici Naſſovii Ducatu. Septimò, quòd ſemper ſuis caſtris ſe continuerint,nec unquam ad pugnam venire auſi fuerint, licèt ſæpiùs à nobis fuerint laceſſiti, & ipſi multitudine eſſent ſuperiores. Octavò, quòd cùm noſſent in quot menſes Bredanis annona ſufficeret, nullum intereà oppidum tentarint; cùm potuiſſent ſpatio novem menſium Dunkerckam, Neoportum, Brugas,& aliquot alias urbes invadere. Et has negligentias non in hoſte,ſed noſtris ſtatim arguis; cùm potiùs per conjurationem & temporum incommoda excuſare debuiſſes. Ad animoſitatem hoſtium & fortitudinem venio: quam utramque in hoſte laudas:*Animoſior*,inquis,*quia extra aquas & paludes fortis nuper apparuit; parvis,copiis magnis auſus reſiſtere, tanquam nihil ad victoriam numerus faciat*. Quando extra aquas & paludes fortis nuper apparuit;parvis,copiis magnis auſus reſiſtere? Non apud Bredam, ut dixi. Quàm fortiter (Deus bone!)apud Brugas extra aquas apparuit!Poſt captam Sylvamducis, Galli hortati erant Hollandos,ut uno impetu Flandriam univerſam opprimerent:milliones, & apparatum inſtructiſſimum dederant. Venit ergo Auriacus, & Brugas tentare meditatur. Stabant in armis ingentes Gallorum & Hollandorum copiæ, jam totam Flandriam in manibus ſuis ſe habere gloriabantur: ſed ubi adeſſe noſtros tulit fama, vix aut ne vix quidem Regios videre ſuſtinuerunt;pavore correpti, fame & navigationis moleſtiis enecti, totam ſuam ſpem in fugâ poſuerunt: cùm tamen tantam multitudinem haberent,ut decuplò noſtros multitudine ſuperarēt.

Cur

Cur tunc animosi non fuerunt? cur fortes non apparuerunt? cur nostris parvis copiis, suis tam magnis non fuerunt ausi resistere? Certè, tunc apparuit numerum & multitudinem Batavorum nihil ad victoriam facere. Sed fortè de Trajecto intelligis, quando nostris magnis copiis, fuerunt suis parvis copiis ausi resistere. Magna animositas & fortitudo, quando altissimis aggeribus quasi muris septi, & triplice fossâ muniti, tria tantùm millia, quæ non monito Marchione Sancta-Crucio, repentè Papenheimius eduxerat, è suis castris depulerunt. Quin apud Bredam aliquid tentarunt? Cur numquam in campum descendunt? Cur numquam nobiscum aperto Marte decernunt? Cur nostros Mosam transeuntes, eorum equitatus expectare non fuit ausus? Cur ad pugnam coacti, cùm essent 150. adversùs nostros 60. sic pugnarunt; ut à nostris vel caperentur, vel occiderentur? Cur semper pugnam, toties, & jam ab Excell. Marchione de Aytona oblatam, detrectarunt? Quàm fortes in cavernis suis lepores, quò molossi latratum quidem mittere, sed rostrum non possunt!

PVTEANVS.

Possunt vincere, qui pugnare audent: sed malunt non pugnare, ut Fortunam Pace firment. Ergo Regis nostri amicitiam, mutatis animis, & societatem æstimant; ut postquàm strenui fuère, tuti sint, & aliorum simul bella excludant.

POLITICO-CATHOLICVS.

Pacem igitur velut utilem amant, ut nempe fortunam pace firment, divitias acquirant, suum grande æs alienum exsolvant paulatim, quo non gravantur tantùm, sed opprimuntur; deinde recuperatis viribus, bellum longè crudelius Regi moliantur. Non à bello abstinendum censeo, ut eorum fortuna bello prorsus evertatur. Quid deinde eorum amicitiam proponis? Amicitiam illorum non quærit. Cum hæreticis illam (etsi apud te sint strenui) habere non vult; Fidei suæque hæreditatis restitutionem petit.

Littera

Littera P. PVTEANI.

Regis, inquam, nostri; quia Maximi, quia maris Domini: mari enim nisi fruantur, non se putant tutos esse, non vivere, non ali. Vtriusque se quasi naturâ elementi incolas esse; malè vim exerceri: Orbem universum tanquam unam classibus insulam cingere; domi cingi. Pace hæc corrigi omnia: unos uni, ubique dominanti, timendos esse, si hostes sint; fovendos, si Amici: ampliùs à subditis nec præstari, nec exigi posse.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram P. Puteani.

PVTEANVS.

Regis, inquam, nostri (scilicet amicitiam & societatem) *quia Maximi, quia maris Domini: mari enim nisi fruantur, non se putant tutos esse, non vivere, non ali. Vtriusque se quasi naturâ elementi incolas esse; malè vim exerceri: Orbem universum tanquam unam classibus Insulam cingere; domi cingi. Pace hæc corrigi omnia: unos uni, ubique dominanti, timendos esse, si hostes sint; fovendos, si Amici: ampliùs à subditis nec præstari, nec exigi posse.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Patet quàm vulgaris sit hæc amicitia, non affectu, sed utilitate æstimata, juxta illud Ovidii:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Age, Rex Magne, ostende te verè maris dominium possidere. Mari non fruantur; tunc tuti non erunt, non vivent, non alentur. Illud in tuâ potestate est, si illos nempe domi cingas. Hoc consilium jam pridem subministratum. Hæc una via victoriæ: si terrestri bello impetantur, ut dixi, & navibus eorũ insulæ cingantur, omnisq; navigandi libertas adimatur. Omne enim hostium robur & potentia in mercimoniis consistit: si negotiandi via intercludatur, nervos belli amittent, id est, pecunias quæ ipsis ex negotiorum & commerciorum tractatione proveniunt. Sint ergo naves quadraginta, aut paulò plures per Flandriæ littora & alia loca dispersæ: ita imperium maris

maris teneri poſſe, plerique putant. Quæ naves parari & ali facilè poſſunt: ſi una Provincia, unumquodq; Regnum, duas tréſve ſumptu ſuo paret & alat; vel ſi privatis liceat ære ſuo parare & alere, eâ conditione, ut prædam, quam ab hoſte in mari referent, rei navalis Præfecti inter ſingulos diſpertiantur, Regio Fiſco decimâ tantùm ejus parte aſſignatâ. Sic Regi noſtro ubique (terrâ nempe marique) dominanti, timendi non erunt, etiam ſi hoſtes ſint. Hoſtes autem ſemper erunt, quàm diu ſuam peſtiferam Religionem non exterminabunt, & hæreditatem Regiam non reſtituent: ſcias utrumque, & à ſubditis præſtari debere, & à Rege noſtro exigi poſſe.

Littera Q. PVTEANI.

Quærunt igitur domi Pacem, ubique daturi: ut ſi in aquis ſuis quieti, quâdam velut pacti vice, tranquilla in Oriente & Occidente maria ſint: ubi arma fuerunt, libera commercia vigeant; jure ſuo, ſine impedimento, Rex utatur. Præſtat profectò unam Bataviam pacatam eſſe, quàm maria omnia, omneſq; inſulas infeſtari: imò unam Bataviam Regis non eſſe, ut labe & lue belli tota poteſtas liberetur. Aurum argentumq; ex Americâ tuto in Hiſpaniam itinere ſubvehi, Pacis pretium eſt. Quamdiu hoſtes erunt, rapi theſauri poterunt. Salvi perveniant quoque; bello tamen, hoc inquam Belgico, hoc voraci, conſumentur.

Reſponſio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram Q. Puteani.

PVTEANVS.

Quærunt igitur domi Pacem, ubique daturi: ut ſi in aquis ſuis quieti, quâdam velut pacti vice, tranquilla in Oriente & Occidente maria ſint; ubi arma fuerunt, libera commercia vigeant, jure ſuo, ſine impedimento, Rex utatur. Præſtat profectò unam Bataviam pacatam eſſe, quàm maria omnia, omneſq; inſulas infeſtari: imò unam Bataviam Regis non eſſe, ut labe & lue belli tota poteſtas liberetur. Aurum

N argentumq;

argentumq̀. ex Americâ tuto in Hispaniam itinere subvehi, Pacis pretium est. Quamdiu hostes erunt, rapi thesauri poterunt. Salvi perveniant quoque; bello tamen, hoc inquam Belgico, hoc voraci, consumentur. POLITICO-CATHOLICVS.

Rex illorum pace non indigebit, eorum infestationes non timebit, si expeditas naves habeat, quibus possit obsistere. Non tunc maria omnia, omnesque insulas infestabunt, si ipsis omnis aditus in maria omnia, omnesque insulas intercludatur. Primò, cum quindecim triremibus & totidem navibus milite instructissimis, freti Gaditani angustiæ, quæ variis in locis vix tres in latitudinem leucas habent, præcludantur: tunc nec Mari Mediterraneo, nec Ligustico, nec Adriatico frui poterunt; nullum cum Italis, Massiliensibus, aliisque in Gallicanâ illâ orâ gentibus, commercium habebunt. Secundò, Orientalis Indiæ navigatio impediatur à decem onerariis optimè instructis, in insulâ S. Helenæ stationem habentibus, quò hostes ex Oriente redeuntes, necessariò debent appellere ad instauranda navigia. Tertiò, cùm in Occidentē Hollandicæ naves tantùm viginti eant, & in oppidis maritimis multùm ab invicem remotæ, suas merces distrahant: viginti aut plurimis navibus instructissimis facilè opprimi possunt. Si semel rerum suarum jacturam faciant, Orientales illæ & Occidētales Societates vix respirabunt. Quartò, ingenti tantùm classe cingatur Batavia, ut nulla navis liberè possit portu solvere: quid agent? Agedùm, Potentissime Rex, gentem hanc impiam ab Oriente & Occidente procul remove; ne suæ hæreseos pestē istis rudibus & imperitis populis propinet; ne præterea tot milliones annuatim sibi hostes comparent, quibus tela cudantur in tuum caput convertenda. Maris imperium penes te est, ne dubita, classem exstrue. Sumptus, quos multis annis facturus esses, uno aut altero anno liberaliter deprome; ut domi bellum habeant, ut ingenti & numeroso exercitu terrâ mariq; oppugnentur. Sic Batavia erit tua: sic labe & lue belli tota tua potestas liberabitur; sic aurum argentumque ex Americâ tuto in Hispaniam itinere subvehetur; sic rapi thesauri tui non

non poterunt, & in manus tuas salvi pervenient. Belli hujus diuturni hoc pretium erit. Quid? præstat Bataviam Regis non esse? Erras Puteane. Fac tuam, Rex Magne. Facere id potes, si totam mentem & opes, uno aut altero anno ad hoc unum bellum Belgicum convertas.

Littera R. PVTEANI.

Tantum gens una potest, imò tantum una olim potuit, Romanos sub Vespasiano Cæsare potentissimos ausa longo, acri, & periculoso bello fatigare. Batavi fuère, & tanquam adhuc pugnent

Non aucupantes bellum, sed belligerantes.

Post arma Pax placuit, & quorum virtus formidolosa erat, amicitia quæsita. Civilis dux belli & auctor fuerat: primus in gratiam receptus. Gens ipsa Amici & Fratres Romani Imperii facti. *Qui honos etiam lapide expressus est:*

GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES.
ROMANI. IMPERII.

Accedit Taciti prudentissimi Historici elogium: Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multùm ex ripâ, sed insulam Rheni amnis colunt. Cattorum quondam populus, & seditione domesticâ, in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis conteruntur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantùm in usum prœliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram R. Puteani.

PVTEANVS.

Tantum gens una potest, imò tantum una olim potuit, Romanos sub Vespasiano Cæsare potentissimos ausa longo, acri, & periculoso bello fatigare. Batavi fuère, & tanquam adhuc pugnent.

Non aucupantes bellum, sed belligerantes.

Post arma Pax placuit, & quorum virtus formidolosa erat, amicitia quæsita. Civilis dux belli & auctor fuerat: primus in gratiam receptus.

ptus. Gens ipſa Amici & Fratres Romani Imperii facti. *Qui honos etiam lapide expreſſus eſt:*

GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES. ROMANI. IMPERII.

Accedit Taciti prudentiſſimi Hiſtorici elogium: Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multùm ex ripâ, ſed inſulam Rheni amnis colunt. Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſticâ, in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne. Nam nec tributis conteruntur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantùm in uſum prœliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, bellis reſervantur.

POLITICO-CATHOLICVS.

Numquam Batavia priùs in Romanorũ poteſtate fuerat: Romani, cùm ſub Veſpaſiano multis bellis premerentur, dignati ſunt ipſum Civilem belli auctorẽ & Batavos in amicitiam recipere. Sed dic mihi, ſi Romani priùs Bataviam ſui juris feciſſent, an contenti fuiſſent, ſi ſuam tantùm amicitiam & ſocietatem obtuliſſent? Quid? fuiſſent exempti tributis, oneribus, collationibus, & tantùm in uſum bellorum ſepoſiti? Sanè & ex ipsâ Romanâ hiſtoriâ conſtat, ab Vrbis ortu ad Iovinianum Imperatorem non inveniri Conſulem aut Imperatorem, qui ſemel Romani juris factas terras hoſti conceſſerit, ut loquitur Ammianus Marcellinus lib. 25. Iam verò, cùm Hiſpaniæ Regis hæreditatem occuparint; cùm ſe non amicos & fratres Romani Imperii, ſed Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis inimicos & capitales hoſtes ſæpiùs declararint. Quid eſt, quod Rex rebellium & hæreticorum, pacem communem perturbantium, amicitiam & ſocietatem quærere debeat?

Littera S. PVTEANI.

Sed profectò Romanâ virtute jam & potentiâ Hiſpani ſunt, Veſpaſianus PHILIPPVS eſt: non poſſe bellum niſi Pace finiri, tam luculento exemplo docemur: finiendum eſſe, jura divina & humana cogunt. Non

poteſt

potest armis: ergo conditionibus; quæ qualescumq; erunt, armis tamen meliores erunt, quia salutem includent.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram S. Puteani.

PVTEANVS.

Finiendum (bellum) *esse, jura divina & humana cogunt.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Ne sutor ultra crepidam. Sunt Theologi, sunt Iuris utriusque peritissimi, qui Regi vera & sana consilia subministrare debeant. Regem ad finiendum bellum cogi, sive jura divina, sive humana spectemus: quis dicat, nisi juris imperitissimus? quis dicat, nisi velit asserere Regem, qui nondum bellum finit, sed vult prosequi jura divina & humana violare? Quid juri divino magis consonum, quàm è suâ ditione pellere hæreses, & verum sanctumque Dei cultum reducere? Quid juri humano convenientius, quàm suum patrimonium ab injustissimis invasoribus repetere?

PVTEANVS.

Non potest (scilicet finiri bellum) *armis: ergo conditionibus; quæ qualescumq; erunt, armis tamen meliores erunt, quia salutem includent.*

POLITICO-CATHOLICVS.

Ergo qualescumque conditiones ab hostibus acceptandæ: ita inquit Puteanus: nam illæ, *qualescumque erunt, armis tamen meliores erunt.* Apage; ignavis, ruinæ proximis, & necessitate coactis hoc dicas. Atqui, neque nos ignavos, nec ruinæ proximos, nec necessitate pressos ostendi. Et ut Rex se suis rebellibus subjiciat? pro hostium arbitrio, qualescumque conditiones accipiat? Fuge hoc opprobrium sempiternum, Monarcha Potentissime.

Littera T. PVTEANI.

Sed ne ad iniquitatem veniant, tractantium jam industriâ, prudentiâ, pietate cautum est: tractant enim, quia cautum. Si gloriam verò merentur, qui fortiter bellum gerunt; majorem certè, qui feliciter finiunt, qui tempestatem in malaciam, noctem in diem, luctum in lætitiam commutant. O magna, & victura semper in Annalibus nomina, quibus Pacem Belgæ debituri sunt! Peragite, O salutis publicæ

 sequestri,

sequestri, & jam cælo digni, non humanum, sed divinum opus. Vestro beneficio, alius fortunas, alius patriam, omnes vitam ac spiritum accipient: intelligent omnes partâ Pace, felicitatem suam cum quiete publicâ conjunctam esse.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram T. Puteani.

PVTEANVS.

Sed ne ad iniquitatem veniant, tractantium jam industriâ, prudentiâ, pietate cautum est: tractant enim, quia cautum.

POLITICO-CATHOLICVS.

Navigationem liberam in Orientem & Occidentem illis permittendam in hoc tractatu sæpiùs suasisti. Tu hoc iniquitatem non vocas: iniquitatem autem esse Status nostri, hoc inter multa alia judicarunt; nec pacem huic conditioni prætulerunt. Eorum prudentiam, pietatem, & erga Regem constantissimam fidelitatem laudamus.

PVTEANVS.

Si gloriam verò merentur, qui fortiter bellum gerunt; majorem certè, qui feliciter finiunt, qui tempestatem in malaciam, noctem in diem, luctum in lætitiam commutant.

POLITICO-CATHOLICVS.

Finire noluerunt, quia feliciter finire non poterant. Belli tempestatem tolerandam esse potiùs existimarunt: quàm non satis Regi suo fideles viderentur; ut permitterent aliquid, vel Religioni nostræ perniciosum, vel Regiâ Majestate indignum peragi. Quorum consiliis apud Regem, vel opibus in Patriâ si fortiter bellum instauretur: brevi tempestatem in malaciam, noctem in diem, luctum in lætitiã commutabunt.

Littera V. PVTEANI.

Pacem, tanquam optimam, laudo; Pacem, tanquam utilissimam, suadeo, &, omnibus belli consiliis posthabitis, ineundam esse. Pace ad salutem surgimus, bello perimus. Dum licet, obviam fortunæ eundem est: plus minatur mali, quàm dedit: & quos concussit, potest evertere. Præstat securos, quàm animosos esse. Nemo adeò, *monente Tacito*, in arma promptus, ut non idem pretium quietis, quàm periculi malit. *Aliquando non habere hostes, victoria genus est: fieri Amici possunt,*

poſſunt, ſi hoſtes eſſe deſinant, quando odia beneficiis ſopiuntur. Vt equi, ſic homines ſunt: generoſiores vim recuſant. Armis quid opus, ſi conditionibus finiri bellum poteſt: quid calcaribus & ſtimulis, ſi poppyſmata & blanditiæ ſufficiunt? Bucephalum, vel ſimulacrum ejus videamus, pulcherrimum & ſuperſtes in monte Quirinali Phidiæ & Praxitelis opus: hâc induſtriâ ille ſedecim, ſi Plinium audiamus, vel tredecim, ſi A. Gellium, talentis emptus equus domari, & eodem in pignus certaminis pretio potuit. Nempe plus ingenium Alexandri belluam mulcentis, quàm vis & ſeveritas agaſonum caſtigantium effecit. O pulchra igitur & opportuna verba!

——— Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs urget
Imperioſa quies,

Reſponſio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram
V. Puteani.

PVTEANVS.

Pacem, tanquam optimam, laudo; Pacem, tanquam utiliſſimam, ſuadeo, & omnibus belli conſiliis poſthabitis, ineundam eſſe.

POLITICO-CATHOLICVS.

In hâc litterâ, ut in argumento ſignificas, rerum omnium dictarum epilogum facis. Ego etiam epilogum facio. Patet ergo ex ſuperioribus, pacem tanquam peſſimam, tanquam Fidei Catholicæ & Regi pernicioſiſſimam: & bellum, omnibus pacis conſiliis poſthabitis, ineundum eſſe. Quocirca non pacem, quam neceſſitatis pretio æſtimare voluiſti, ſed bellum neceſſarium duco. Nobis adſunt vires, ſunt milites, non ſunt exhauſta æraria, Regis voluntas eſt, qui media poteſt ſuppeditare, præſertim jam novâ claſſe ex Indiis feliciter appulſâ, ac ditiſſimâ, robuſtior. Hollandi planè exhauſti ſunt, ære alieno oppreſſi, ad ultimas metas redacti: & ſic belli finis inſtat, quia brevi eos neceſſitas adiget, ut cum Rege componant. Figmenta non ſunt, ex his argumentis in Concilio privato Hollandiæ propoſitis diuque examinatis collige, in quo periculo & neceſſitate Reſpublica Batavica verſetur.

Argumenta

Argumenta Veridici cujusdam in Hollandiâ Consiliarii, quibus ostendit Rempublicam Batavorum necessitari ad faciendas inducias cum Rege Hispania, vel pacem.

1. Dubii sunt omnes bellorum eventus: unâ clade, aut locorum quorumdam amissione, in manifestum ruinæ periculum veniet nostra Respublica. Cui malo non subjacet inimicus, quia ex terris sibi subditis copiosum militem subitò potest colligere: externo autem milite Hollandus eget.

2. Eo tempore, quo hostis in Velaviam fecit impetum, perspectum est manifestè in quantum discrimen possimus venire: evasimus quidem, sed magis perexiguam hostis experientiam, quàm armorum nostrorum vires. Si Cæsarei, quando Amersfortium occuparunt, involassent in Nardam, Muyam, & Vltrajectum; sine dubio cepissent: neque Sylvamducis & Wesaliam habuissemus. Similes adhuc occasiones possunt occurrere, si hostis plus experientiæ haberet.

3. Civitatis Sylvæducensis obsidio & expugnatio, eò Statum nostrum redegit, ut jam non possimus nisi exercitum defensivum sustentare. Iisdem deinde oneribus & tributis gravamur, quibus anteà solebamus: semperque sumus obnoxii ruinæ, quando hostis omnes suas vires volet insumere. Certum etiam est, sumptus ad bellum gerendum necessarios, longè excedere omnes Fœderatarum Provinciarum proventus, & indies crescere.

4. Computus generales in his Provinciis facti, clarè nobis ostendunt, quàm sint oppignorati nostri Status: nam rerum oppignoratarum reditus solvendi, ascendunt annuè ad sex milliones florenorum; ad quos exsolvendos, opus est parare pecuniam iterum, cum novo damno.

5. Quòd copiosum exercitum superiore anno 1632. eduxerimus, fuit propter secretam corresp ondētiam quam Status nostri habebant cum aliquibus personis; propter ingentia promissa quibus Rex Frāciæ pecunias & viros pollicebatur. Quòd Venlona, Ruræmunda, Trajectum, Limburgum, Orsoya, in manus nostras venerint, potiùs hostium negligentiæ & tra-

& traditoribus, quàm nostræ fortitudini tribuendum est.

6. Nova vectigalia, quæ singulis annis generaliter imponũtur, tandem magnas seditiones excitabunt, quia crudeliter intimus populi sanguis exsugitur, cùm tamen cessent commercia. Nulla urbs graviorem perniciem sentit quàm Amsterodamum; quæ si semel perdat commercium, simul amittet & creditum & cambia. Cùm autem illa sit, quæ pecunias ad bellum sustentandum provideat: deinceps si creditum perdat & commercia, nummos in omnem eventum paratos habere non poterit.

7. Certum est, omnes urbes Hollandiæ ingentibus debitis esse oneratas, fidemque apud externos amisisse. Certissimũ verò, Principem Auriacum nunquàm Sylvamducis expugnaturũ fuisse, nisi creditũ apud Amsterodamẽses reperisset.

8. Periculum (quod proximum est) amittendi negotiationem, colligi potest ex magnis privilegiis ac immunitatibus, quibus Reges Daniæ, & Angliæ, & aliæ neutrales urbes in suam Regionem nostros mercatores alliciunt, eorumque trahunt commercia.

9. Negotiationem ex uno loco in alium facilè migrare posse, varia nos docent exempla. Brugis, olim Flandriæ emporio, Gandavum migravit, Gandavo Antverpiam, Antverpiâ in Zelandiam, in Hollandiam, Amsterodamum, ubi nondum illa ita suam sedem fixit, ut mutari non possit.

10. Dissensiones inter Gommaristas & Arminianos, licèt suspensæ & compositæ videantur, magnam in Statu nostro mutationem valent adferre. Illorum firmitas, aliorum ruina ab uno Capite & Duce militiæ dependet, qui suâ authoritate quotidiè magnas sibi possessiones comparat; adeò ut facilè se Dominum totius Hollandiæ possit efficere: & tunc inibit cum hostibus conditiones pacis, suo statui ac dignitati erigendæ convenientes.

11. Divitiæ sunt ambitionis parentes, quæ facit, ut beneficia à Dominis præstita tradantur oblivioni. Excitat deinde ad procuranda nova semper dominia, regimina, ac potestates cum rerum prȩteritarum oblivione, sicut exemplum reliquit

Princeps Auriacus defunctus, quod valdè considerari debet.

12. Sine auxiliis Franciæ, Angliæ, & Rerumpublicarum, impossibile est bellum continuare adversùs nostrum communem hostem Regem Hispaniæ. Quàm autem illis regnis niti & fidere debeamus, monent nos illorum prætensiones; quas adversùs nostram Societatem Indiæ Orientalis sunt machinati, ubi illorum Regnorum subditi adversùs nostros bellum gesserunt.

13. Nondum excidit è memoriâ Regis Angliæ prætensio piscationis & pannorũ. Nec adhuc digessit illam injuriã suis factã, quando in Indiâ Orientali quatuordecim Anglos latâ sententiâ suspendimus, paulò ferventiùs quàm æquitas postulabat. Quod sanè nobis aliquãdo negotiũ nõ leve adferet.

14. Nostrorum commerciorum prosperitas, ut spina acutissima maximè pungit Reges Angliæ & Daniæ, qui in hoc omnibus viribus allaborãt, ut nobis omnem negotiationem eripiant; eorumque amicitia tamdiu firma erit, quamdiu ex nobis fructum sperabunt.

15. Vnica ratio, quare Hollandi bellum susceperint post finitas duodecim annorum inducias, fuit ut intra viscera Regis Hispaniç bellum gereretur, nempe in Indiâ Occidentali, unde omne aurum Regi advehitur, ad quod Societas Indiæ Occidentalis erecta est. Si classis Piersheinii felicem successum habuerit, nihil est quod nobis arrogemus: nã si inimicus voluisset navium jacturam facere, potuisset vel terebrare, vel comburere, & sic sine fructu classis nostra rediisset, & Occidentalis Societas necessariò defecisset: qui his Societatibus dant suum nomen, non in Axiomatibus Status se fundant, sed solam spem utilitatis propositam habent. Quid armis nostris consequi possimus iis in locis & in Brasiliâ, docuit nos Admiralis Pater, qui ab Hispanis cum classe cæsus est.

16. Si Rex Hispaniæ vellet aliquo modo convenire cum supradictis Regibus in modo negotiandi, maximam commerciorum partem nobis tolleret, nobisque alas præscinderet, sine quibus bello abstinendum foret.

17. Ex rationibus generalibus urbium Hollandiæ, damnum

num quod nostris navibus intulit Dunkerkanus annis 1628. 29. 30. 31. reperimus ascendere ad duodecim florenorum milliones, sicut urbes ipsæ fassæ sunt, quæ singulæ sua propria damna in Statibus retulerunt.

18. Quòd si hostis navium suarum viribus uti sciret, non tantùm nobis principale commercium auferret, sed etiam dominium maris obtineret, sine quo nulli essemus. Ex confusionibus ordo nascitur, ex peccatis ortę sunt primæ leges: nec est nimis serò, ut incuriæ & errores hostium nostrorum corrigantur; corrigi autem facillimè possunt. Si semel ex animo incipiant, & ex suâ ignorantiâ ac cæcitate emergant, nulla nos juvabit industria, nulla proderunt vicinorum auxilia.

19. Qui diligenter Statum Hollandiæ considerabit videbit nos spatio duodecim annorum, quibus durarunt induciæ, majores divitias acquisivisse, quàm spatio quinqtaginta annorum, quibus bellum gessimus.

20. Bella fieri solent ob patriæ & privilegiorum defensionem, ad patriam ejusq; privilegia defendenda, ad terras hostium invadendas, ad parandam utilem & bonam pacem, Pacis conditiones nobis maximè faventes offeruntur. Et cùm victores simus, decet nos eas acceptare, quandoquidem hæc pax bona sit, magnamque Statui nostro utilitatem allatura. Si pace frueremur, ex toto Orbe ad littora nostra naves appellerent, imperium maris penes nos esset, Status nostri plus virium haberent ad firmanda sua negotia, ad intestinas seditiones comprimendas, ad stabiliendam Rempublicam nostram, & sic muniendam, ut securitatem adeptura nullosque prorsus hostes quantumvis potentes, esset formidatura. Ad quæ omnia bona consequenda, omnes boni & patriæ amantes, manum libenter præberent, nec suis fortunis parcerent.

Et à bello cessabimus? Ecce pené victoriam in manibus habemus; si pugnare perseveremus, si bellum majori circumspectione & animo geramus, si omnes nostras vires eò convertamus. Resistent? opus est nervo belli, id est pecuniâ, ut semper resistant. Cadent? cadent semel. Nondum Gallorum potentia eos à debitis liberare potuit. In immensum

creverunt,& ſemper creſcent. Vectigalia tam gravia ſeditiones excitabunt, & ad implorandam à Rege pacem movebunt, quam Rex non niſi ſanctis conditionibus dabit, quas hactenus reſpuerunt. Fatentur ſe ruinæ proximos, niſi cum Rege conveniant: cur ergo non pergimus? Diuturnitatem belli nè conqueramur: hâc belli diuturnitate frangi debent. Ratio hæc una vincendi, eos paupertate quaſi fame conficere. Iuvare externi Principes pecuniâ Rempublicam poterunt, non populum, qui ſe atteri & rodi non ſemper feret. Membra adverſùs caput inſurgent: nec diu expectandum, quemadmodùm ex ſupradictis argumentis videre poſſumus.

PVTEANVS.

Paci ad ſalutem ſurgimus, bello perimus. Dum licet, obviam fortunæ eundem eſt: plus minatur mali, quàm dedit: & quos concuſſit, poteſt evertere.

POLITICO-CATHOLICVS.

Ad feliciorem pacem & innoxiam ſalutem, bello fortiſſimo & acerrimo veniemus. Vt bello pereamus, tota Regis Hiſpaniæ potentia, quæ invicta, priùs bello pereat, neceſſe eſt. Quid timemus? Noli tam infauſta vaticinari. An aves conſuluiſti, vel in arcana Batavorum penetraſti: ut dicas fortunam plus nobis minari quàm dedit? & nos, quos concuſſit, poſſe evertere? Sed inveniſti fortiſſimos Hiſpanorum & Belgarum animos, qui tuis verbis terreri non poſſunt: qui omnem tempeſtatem, potiùs ſuo capite libentiſſimè ſint excepturi; quàm ut Fidei Catholicæ & Regis ſui dignitas periclitetur.

PVTEANVS.

Præſtat ſecuros, quàm animoſos eſſe. Nemo adeò, *monente Tacito*, in arma promptus, ut non idem pretium quietis, quàm periculi malit.

POLITICO-CATHOLICVS.

Securus Rex eſſe non poteſt, neque ſecura Religio, niſi animoſi ſimus. Excors ille eſt, qui bellum, quod pro vel Religione, vel Rege neceſſariò gerendum eſt, turpi & periculoſæ paci non præponit. Qui generoſus haberi cupit, ubi Deus & Rex ad bellum vocat, mavult pretium periculi, quàm quic-

quietis: pietas erga Deum, erga Regem fidelitas numquam clariùs & illustriùs, quàm in periculis & rebus adversis spectatur.

Littera X. PVTEANI.

Sed sint blanditiæ, absint fallaciæ: tolero, ut sic dicam, poppysmata, damno fraudulenta. Fiant, fiant Induciæ, ut bonâ fide miseriæ profligentur. Maximi hostes, calamitates publicæ sunt, optima consilia, malorum remedia. Vertamus omnia, tentemus singula: bello carere, pulcherrima bellandi ratio est, tutissima victoria. Cedant arma togæ, cedant arvis & aratris, aut in hæc mutentur. Pulchriùs vomer, quàm ensis splendet; bidens, quàm hasta: meliùs ferro vervacta agrorum, quàm agmina agricolarum proscinduntur. Alterum belli scelus, alterum Pacis beneficium est. Colantur rura, satis jam sanguine ad fertilitatem imbuta sunt; navigentur maria, satis classibus turbata sunt: vigeant commercia, satis latrociniis distracta sunt. Reddent rura, maria, commercia Regi, quod bellum abstulit: reddent populis, quod bello amiserunt: denique quantum florebunt populi, Regi accedet. Hæc Belli & Pacis Statera *est, ut suo Induciæ pretio æstimentur.*

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad litteram, X. Puteani.

PVTEANVS.

Vertamus omnia, tentemus singula: bello carere, pulcherrima bellandi ratio est, tutissima victoria.

POLITICO-CATHOLICVS.

Si Rex semper cum aliis Rebellibus (qui Batavorũ, si non domentur, exemplo possunt exsurgere) inducias faceret, illi intereà Regias terras possiderent: fieret brevi, ut solo nomine Rex esset. Si à bellando desisteret, & pulcherrimam hanc semper belli rationem (scilicet bello carere) sequeretur, non multùm tutissimâ illâ victoriâ clarus & potens esset; sed præterquàm quòd singula brevi amitteret, æterno ignaviæ probro notaretur, quòd statim à gerendo bello de-

 ficeret,

ficeret, malorum impatiens. Nam ut ait Seneca in OEdipo Act.1.

Regium hoc ipsum reor
Adversa capere: quoque sit dubius magis
STATVS & candentis imperî moles labat;
Hoc stare certo pressiùs fortem gradu.
Haud est virile terga fortunæ dare.

Littera Y. PVTEANI.

Sed tuo, Optime ac Sapientissime Woveri, *judicio, qui in bello, sed ad Pacem natus hujus mihi scriptiunculæ auctor exstitisti; Scriptiuncula, sed subitariæ, quâ consilia mea, imò silentia repræsento. Sunt consilia, si Pax melior est: silentia si bellum. Ampliúsne excuso? Cùm nihil dixi, hæc tamẽ dixi: post quàm loqui cæpi, omnium ore, omniumq; voto locutus sum. Pacem omnes, sive longam, sive sequestram, sed Pacem clamant, & ingeminant.*

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad litteram Y. Puteani.

PVTEANVS.

Optime ac sapientissime Woveri, *judicio, qui in bello, sed ad Pacem natus, hujus mihi scriptiunculæ auctor exstitisti. Scriptiunculæ, sed subitariæ, quâ consilia mea, imò silentia repræsento. Sunt consilia, si Pax melior est: silentia, si bellum. Ampliúsne excuso?*

POLITICO-CATHOLICVS.

Sanè non sapientissimus fuit ille, si talem voluerit esse scriptiunculam tuam: tu autem, non nimis sapiens, qui hanc subitariam & inconsideratam edidisti. Et quia Pax non melior, sed bellum: consilia dedisti, non apta tempori. Vtinam siluisses, manumque à scribendo tenuisses! Nunc verò silentia esse non possunt; cùm tua hæc verba, omnium frangant silentia.

PVTEANVS.

Cùm nihil dixi, hæc tamen dixi, postquàm loqui cæpi, omnium ore omniumq; voto locutus sum. Pacem omnes, sive longam, sive sequestram, sed Pacem clamant, & ingeminant.

POLI-

POLITICO-CATHOLICVS.

Nullus est, qui non pacem desideret: sed vir bonus & fidelis, Regis sui cultor, pacem honestam, Fidei Catholicæ & Regiæ dignitati faventem debet exoptare: non illam, quę turpitudinem & perniciem conjunctam habet.

Littera Z. PVTEANI.

Audiat Deus, audiat Rex:

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes.

Responsio POLITICO-CATHOLICI ad Litteram Z. Puteani.

PVTEANVS.

Audiat Deus, audiat Rex:

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes.

POLITICO-CATHOLICVS.

Ego quoque concludam. Audiat Deus, audiat Rex.

Tuta salus bello, Bellum te poscimus omnes,

Vt citò Pax veniat.

Optamus bellum, sed quod majoribus viribus, & toto imperii conatu geratur, & sit brevi terminandum, nobisque pacem jucundissimam allaturum. Si verò diuturnitatem belli, Deus & Rex postulaveris: sequemur, non calamitates, nec mortem ferre recusabimus; pro Fide, ô Deus, pro tuo Iure, ô Rex.

Hæc est tua Statera, Puteane, quæ potiùs Hollandis, quàm Belgis placuit. A Rege, nec Belgis tibi gratiæ debentur. Et ecce judicium viri non infimi ex Hollandiâ, quod nuper in manus meas venit.

Primarii cujusdam viri, in Stateram Belli ac Pacis Iudicium.

Gratias tibi ago maximas, quòd doctissimi & acutissimi scripti lectionem mihi indulseris. Ego clarissimi Puteani institutum pium, & saluberrimam vocem exosculor. At Si Philippus essem

&

& Hispaniarum Rex, putarem me parum debere isti scriptori. Quid enim aliud toto isto scripto agit, quàm ut Regis sui damna, male-sana consilia, irrita cœpta, suorum seditiones & dissidia exaggeret, & Orbi ob oculos ponat? Hoc est argumentum ineunda Pacis, subministrare Brabantis & Regi, non nobis. Certè, si ad incitas redacta sunt ipsorum res, si præstat Bataviam reliquasq; insulas (ut vocat) missas facere, ut reliquis salus sit: judicabimus nos satius fore, vosq; adeò turbatis hostium rebus, etiam alias Provincias Imperio nostro attexi. Magis nostram causam agit, quàm Regis sui, & istoc modo inducias suadere, est dissuadere. Videtur mihi librorum iste Censor in eodem errore versari, & probare qua nimis ex honore adversa parti dicta sunt. Quibus ista Statera placet, ostendunt liquidò, aut pereundum esse, aut ab armis abstinendum. At hoc dissimulandum magis foret, inducias petentibus, &c.

Vale igitur Domine Puteane, ad meliora pro Religione & Rege scribenda eloquentiam tuam verte; meliùs ac feliciùs deinceps, quantum Regi tuo debeas, eloquio tuo profitere.

EX BELLO PAX.